ECCLESIAE ARMENAE
TRADITIO
DE ROMANI PONTIFICIS
PRIMATU IURISDICTIONIS
ET
INERRABILI MAGISTERIO

PER PRESBYTERUM ARMENUM

STEPHANUM AZARIAN

ALUMNUM VEN. COLL. URB. DE PROP. FIDE
ET SS. D. N. HONOR. CUBICULARIUM.

ROMAE
TYPIS SACR. CONGREGAT. DE PROPAGANDA FIDE
SOC. EQ. PETRO MARIETTI ADMINISTRO
MDCCCLXX. Mense Maio.

I.

Quod iamdiu de Christo Domino pronunciatum fuit (1) « *positus est in signum cui contradicetur* » hoc de eius in terris Vicario Rom. Pontifice futurum omnino erat. Etsi enim a primaeva aetate suprema huius potestas quoad disciplinam et doctrinam magno semper in honore habita fuerit, nihilo tamen secius, qui a recto tramite deflectentes auctoritatis eiusdem pondere se premi senserunt, in eam insurgere minime reformidarunt.

Prima huius erroris semina ab Eusebianis iacta fuisse videntur, aegre ferentibus, ea quae ab Orientalibus, licet inique, constituta fuissent, in Synodis Occidentalium, hoc est auctoritate Rom. Pontificis retractari.

Haec vero audacia per temporum varietates eo demum processit, ut Photius indignatus auctoritate Supremi illius Pastoris se praepediri quominus Constantinopolitanae Sedi securus incubaret, Alexandrinam et Antiochenam suae potestati submitteret, eo demum proruperit, adstipulantibus Principibus Constantinopolitanis, ut traditam a Christo Domino Rom. Pontifici auctoritatem pro nihilo habuerit, decreta contempserit; quo factum est ut tandem Caerularius Ecclesias Orientis a Catholicae unitatis centro foedo schismate divulserit. Porro quae inde consequuta est

(1) Luc. Cap. II. v. 54.

Ecclesiarum illarum ruina, canonum contemptus, Catholicae fidei apud eos depravatio, imperatoriae dignitatis, quod ante triennium S. Leo IX praenunciaverat, turpis amissio, deflere magis libet, quam pluribus verbis rem omnibus perviam prosequi. Triste profecto, at salutare documentum ipsa rerum experientia comprobans, recedentes a centro unitatis secus ocius in praeceps ruere, et illos qui non colligunt cum Christo Eiusque Vicario, spargere.

At malum in Oriente non constitit. Cum enim saeculo XIV saeviente schismate quo Occidentalium Ecclesiae in tres, uti aiebant, obedientias divisae fuissent, unaquaque suum Pontificem obtrudente, incertum ac dubium visum est, quinam e tribus supremam illam dignitatem sibi vindicantibus censendus esset verus ac legitimus, ipsa tunc pontificia dignitas et auctoritas labefactari quodammodo visa est adnitentibus praesertim erroneis doctrinis, quibus Marsilius Patavinus, Arnaldus Brixianus aliique, sequioribus haereticis proluserunt. Tunc primum pontificio primatui, inaudito eatenus ausu limites defixi, praerogativae imminutae, tunc primum oecumenicis Conciliis illum subesse dictitatum est, sine quo nulla posse consistere concilia veteres Patres tradiderant: et ea quae Constantiensis Synodus de dubiis et contendentibus Pontificibus ad restituendam catholici regiminis unitatem sanciverat, ad certos atque indubios, inscite an malitiose dubito, traducta sunt. Neque defuit in his rerum adiunctis patrocinium Summorum Imperantium, perinde ac si

Pontificiae dignitatis vilipendio Regiae Maiestati maior aut dignitas aut firmitas posset accedere. Nova haec opinionum commenta nationales scholas pervaserunt, uti nationales doctrinae celebratae sunt, in honore etiam habitae, iurisiurandi religione demum firmatae. Et quoniam erroris est novas de die in diem formas induere, novis iisque gravioribus latam sternere viam, nova pullularunt errorum germina, enitentibus potissimum Richerio, Febronio, et longa eorum serie qui illos vel praecesserunt vel subsequuti sunt, Iansenistae passim nuncupati, ut nil dicam de sedicentibus philosophis atque incredulitatis magistris, quos iuvit haec theologorum commenta in suos usus usurpare.

Porro tanta est erroris foeditas ut veritatis formam superindui contendat, nullaque fuit umquam haeresis, quae scripturarum ac traditionis vadimonium non exquisierit. Hinc clarissima Christi verba, quibus B. Petro primatum vel promiserat vel promissum tradiderat, peregrinis interpretationibus antiquae Patrum sapientiae omnino contrariis ad alienos sensus contorta. Idipsum de traditione actum: si quid unus vel alter ex Patribus innocenter et minus caute, nondum exortis hisce haeresibus dixisset, undique diligentissime corrasum; si quid in historia Ecclesiae vel minus perspicuum ob inopiam documentorum, quae vel furore Ethnicorum, vel haereticorum fraude perierunt; si quid umquam perditi homines contra Rom. Pontifices ausi sunt, id omne argumenti locum et ineluctabilis demonstrationis pondus adver-

sus illos obtinuit. Tam iniquo consilio pervolventibus ecclesiastica monumenta peropportunae visae sunt Orientalis Ecclesiae historiae, peropportuna Patriarcharum Constantinopoleos arrogantia et audacia, peropportuna Ecclesiarum illarum defectio. Cumque pro temporum acerbitate aliisque locorum et personarum adiunctis, quae doctos viros et veritatis amicos numquam effugerunt, primaeva illa aetate tanto splendore non circumfundi pontificium primatum animadvertissent, quantum sequentium temporum et necessitas et tranquillitas invexit, hinc ignotas fuisse hisce saeculis pontificias praerogativas confidenter asseruerunt, negativi argumenti infirmitate neglecta, eiusque sapientiae impares, qui ex ungue leonem agnoscebat. Quae enim ex veterum documentorum naufragio superfuerunt, quod peculiari Dei providentiae omnino tribuendum, tanta sunt, ni decipi vel decipere velimus, ut summam semper fuisse et nullis umquam limitibus in hominum opinione circumscriptam evincant amplissimam illam et universalem potestatem, qua Christus Dominus B. Petrum eiusque successores pollere voluit.

Proinde atlantico labore, et meliori causa digno, conquirendis hisce monumentis alacriter adlaboratum, ingentes licet sumptus essent impendendi, et cum Orientalium linguarum difficultate pugnandum. Ast veritas Domini manet in aeternum et mentitur iniquitas sibi. Etenim iisdem documentis pontificia potestas confirmata est, quibus impetebatur; et stimulus additus doctiori cuique ex Catholicis, ut difficul-

tates exinde petitae non minori studio, feliciori exitu enodarentur. Quem latet, quid quantumque ea in re profecerint catholici doctores ab aevo quod reformationis dictum est ad nostram aetatem, praesertim contra Iansenistas qui sacram ubique antiquitatem vel falso praetexentes, vel ea turpiter abutentes, scripserunt?

Etsi vero hac ratione veritas in tuto posita conquiescat, iniquitas tamen, quae numquam sapit, non oppilavit os suum; et celebratum a notissimo Pseudophilosophorum elapsi saeculi coryphaeo perfidum adagium manet et manebit, assidue impudenterque mentientem semper aliquid proficere; et nullam calumniosam criminationem tam feliciter depelli, ut omni penitus macula qui notatus est, eluatur.

Liceat igitur et mihi, qui nullo pacto gravissimis illis viris me comparandum sentio, ad Rom. Pontificis primatum et inerrabile magisterium comprobandum aliquid proferre praesertim ex Armeniae Ecclesiae monumentis. Infelix ista Ecclesia, quam saevus haeresis turbo ab unitate catholica tot iam abhinc saeculis miserrime avulsit, integram servat in suis libris avitam gentis traditionem de Rom. Pontificis primatu ac praerogativis, haustam a maioribus orientalium Ecclesiis et scholis, et a Magno Gregorio Illuminatore genti suae veluti testamento commendatam. Haec perspicue in scriptis Patrum Armeniorum continetur, et in eorum conciliis et canonibus: hanc in ipsis schismaticorum Ecclesiis sacrae liturgiae praedicant; haec historiarum certissimis documentis com-

mendatur; quae si haud infrequentes Armeniorum defectiones ab apostolica sede narrant, meminerunt quoque vaferrimarum artium quibus simplex illa gens in errorem ab iis pertracta fuit, quos uti duces ac magistros venerabatur. Hi tamen eo usque proficere nequiverunt, ut in animis Armeniorum alte defixam Pontificii primatus ideam eradicarent; qui proinde cum primum licuit, in Romanae Ecclesiae gremium se recipere festinarunt.

Faxit Deus ut qui adhuc ex Armenis in errore versantur, quique subdolis artibus seducti Vicarii I. C. supremam ac salutarem auctoritatem pertimescere videntur, prudentiores fiant; et quoniam antiquarum gentis suae traditionum sunt aemulatores, videant quid maiores nostri senserint, quid egerint; videant inquam et intelligant et novissima praevideant. Spero etiam hunc qualemcumque meum laborem, documentorum quae profero auctoritate urgente, haud inutilem futurum iis qui putant timendum esse Orientalibus qua Catholicis qua Schismaticis si Rom. Pontificis Primatus et praerogativae maiori semper in luce collocentur.

II.

Priusquam autem aggrediar ad afferendum monumenta Ecclesiae Armenae, liceat mihi eamdem rem ex universis praesertim Orientalis Ecclesiae documentis currenti calamo illustrare, unde palam constituatur quae et qualis fuerit ex aevo Apostolico de summa Romani Pontificis regendi et docendi auctoritate traditio in Ecclesia Orientali, cuius est pars nobilissima nostra Ecclesia Armena.

Et primo nonne hanc eamdem doctrinam in Sacris Scripturis traditam habemus, quam, ut postea videbimus, traditio Ecclesiae Orientalis et Armenae speciatim semper et constanter iuxta praesentem S. Rom. Ecclesiae Doctrinam intellexit et praedicavit?

Et sane in Sacris Evangeliis legimus quod uni Petro primum claves promissae a Christo sunt (Matth.XVI 19.); eidem pascendi et agnos et oves cura mandata est (Ioannis XXI.) Super eamdem Petram aedificatam Ecclesiam Christus docet (Matth. XV.8.). Pro Petro solo orat Christus Dominus ne fides eius deficiat et ut conversus confirmet fratres (Luc. XXII. 31.). Petrus primus post resurrectionem festinat ad sepulchrum (Ioannis XX. 7.). Petro nominatim Christus Dominus resurrectionem suam notificare curat (Marc. XVI. 7). Petrus primus praedicationem incipit et ordines dare: «Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem» (Act. XI. 4); et primum haereticum Simonem Magum profligat (Act. VIII. 20). Petro se sistit Paulus conversus (Ad Galat. I.). Paulus et Barnabas quae-

stionem ortam de necessitate legalium ad Petrum in Concilio referunt (Act.XVI). In eodem Concilio Petrus primus eloquitur (Act. XVI. 7.).

II. In fundatione quoque Ecclesiarum Petri suprema auctoritas praeclarissime apparet ac praesertim Antiochena et Alexandrina Sedes a fundatione ista B. Petri praerogativas obtinuisse Patrum traditio evincit. Lyddam, Saronam, Caesaream, aliasque Orientales Barbarasque regiones peragrasse inibique Ecclesias fundasse indicat Lucas (Act. XVIII.), et vetustissimae traditiones ac Patres antiquissimi testantur, ita ut in verba Actuum Apostolorum: « Factum est ut Petrus dum pertransiret universum etc. » scribat S. Ioan. Chrysostomus Hom. XXI. in acta: «Quem» admodum Dux in exercitu obambulat, considerabat quae » pars esset coadunata quae ornata quae suo adventu » egeret. »

Quarto autem ab Christi *ἀναβάσει* adscensionis anno Antiochiam Syriae Metropolim petiit, ibique Ecclesiam, cuius primordia iam ab aliis constituta fuerant, fundavit, eiusdemque per aliquot annos Episcopus sedit; profecto Petrum Antiochiam incoluisse ibique cum Iudaeis gentilibusque versatum fuisse testatur Apostolus ad Galat II. veteresque Patres idem testantur, uti S. Ioan. Chrysostomus de Ecclesia Antiochena Tom. I. Hom. 42. haec scribit: «Haec est una nostrae civitatis praerogativa, quod » Principem Apostolorum ab initio Doctorem accepit, ae» quum enim erat ut ea quae nomine Christianorum ante » universum orbem terrarum ornata fuit, Primum Apo» stolorum Pastorem acciperet. » Et Theodoretus in Epistola ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum ita alloquitur: «Hic (Dioscorus) vero legibus istis adquiescere » non vult, sed sursum ac deorsum B. Marci Sedem ob-

» tendit, idque cum liquido intelligat, Megalopolim Antio-
» chiam *Magni Petri sedem habere.* »

Alexandriae quoque Sedem auctoritate sua per S. Marcum fundasse testantur Patres. Ad rem Hincmarus Rem. Tom. II. pag. 402: « Sedes Ecclesiarum Romanae, Ale-
» xandrinae et Antiochenae idcirco speciales Sedes dici...
» quoniam Sedes sunt, quia potius UNA Sedes Magni Pe-
» tri Apostolorum Principis. » Hoc idem legitur et apud Nazianzenum, Innocentium I, Pelagium, Leonem Magnum.

Inde autem illud mirifice adstruitur quod summa et suprema auctoritas a Domino N. I. C. Petro soli concredita fuerit; et ab illo omnes aliae Ecclesiae suam vim virtutemque exhauriant.

III.

Hanc eamdem regendi et docendi supremam auctoritatem a Christo Domino Petro et legitimis Successoribus eius traditam esse universa Ecclesia cognovit et professa est, et haec publica professio per varios modos ex Ecclesiastica traditione praesertim orientali eruitur. Et in primis per honorifica illa nomina, quibus Ecclesia Romanos Pontifices antiquitus decorare consuevit, quibus aperte eiusdem in universam Catholicam Ecclesiam Primatus et summa auctoritas in regendo ac docendo indicatur.

1. Et primo dictus est *Pontifex Maximus* et *Episcopus Episcoporum* (Tertull. lib. de Pudic. cap. I.).

2. *Pater Patrum* et *Apostolico culmine sublimatus*: Stephanus Episcopus Carthaginiensis in Epistola ad Damasum Papam nomine trium Conciliorum Africae scripta: « Bea-

» tissimo Domino et Apostolico culmine sublimato Sancto
» Patri Patrum Damaso Papae. »

3. Ibidem dicitur etiam « Summus omnium Praesidum » Pontifex. »

4. Hieronymus Epist. ad Damasum « Super hanc Pe- » tram aedificatam Ecclesiam scio. »

5. Ambrosius in I. Timoth. 5. « Domus Dei est Ec- » clesia, cuius hodie *Rector* est Damasus. »

6. Valentinianus in Epist. ad Theodosium in Collect. Concil. Chalced. Concilii actis praeposita « Beatissimus » Romanae Urbis Episcopus, *cui principatum Sacerdotii* » *super omnes antiquitas contulit.* »

7. Legati in Synodo Ephesina Act. II. « Gratias agi- » mus Sanctae, venerandaeque Synodo, quod litteris San- » cti Beatique Papae nostri... Capiti vestro sanctos can- » tus sanctis etiam adclamationibus exhibueritis. »

8. Legati Sedis Apostolicae in Synodo Chalced. « Unde » Sanctus et Beatissimus Papa *Caput* universalis Eccle- » siae. »

9. Eadem Synodus Chalced. Act. III. « SS̃mo ac Beatis- » simo *universali Archiepiscopo et Patriarchae* Magnae » Romae Leoni » Act. autem XVI. dicitur: « Beatissimus et *Apostolicus* Vir Papa hoc nobis praecepit. »

10. Valentianus III. Novell. ad calcem Cod. Theodos. « Sedis Apostolicae Primatum S. Petri meritum, qui prin- » ceps est Sacerdotalis Coronae » etc.

11. « *Praefectus totius Orbis et Caput familiae Chri-* » *sti* » Chrysostom. Tom. VI. pag. 282.

12. « *Pastoralis Principatus Dignitate illustris* » Theodorus Studita lib. I. epist. 33. ad Leonem Magnum. Idem Theodorus « Τῶν ὅλων κεφαλῶν κεφαλή, ἀρχεποίμην τῶν ὑπ' οὐρανὸν Ἐκκλησίων » omnium Capitum Caput, universae-

que sub coelo est Ecclesiae, Princeps Pastor.» Idem in Epist. ad Paschalem I. PP. « Vos igitur vere illimis fons » ac sincerus iam inde a principio *verae fidei. Vos ab » omni haereticorum procella* longe positi securus totius » Ecclesiae portus. Vos a Deo electa Civitas ad salutis » refugium. »

13. « *Profanarum haereseon depositor, Princeps et Do- » ctor orthodoxae et immaculatae fidei* » Sergius Cypriensis Episcopus Epist. ad Theodorum Pontificem.

Ex hactenus recensitis honorificis titulis, quos inter plurimos praesertim ex Orientalibus adduximus, Romani Pontificis in universam Ecclesiam summa regendi et docendi auctoritas evincitur.

IV.

Romanam Ecclesiam prae reliquis honorificentioribus quibusdam nominibus donatam fuisse, eadem Ecclesiae praesertim Orientalis universalis traditio evincit.

1. Et primo dicta est « *Ecclesia Principalis, unde unitas sacerdotalis exorta est.* » Cyprian. Epist. 55. ad Cornelium.

2. « Ecclesia reliquarum Mater et Magistra. » Idem Epist. 42. ad eumdem Cornelium.

3. Irenaeus adversus haereses lib. III. cap. 3. « Ad » hanc enim Ecclesiam propter *potentiorem principalitatem » necesse est omnem convenire Ecclesiam.* »

4. « *Ecclesia in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus.* » August. Epist. 165.

5. « Ecclesia unde per diversas *totius mundi* regiones » puritatis incorruptae manant *fidei* sacramenta salutis. »

Epistola Africae Episcop. ex tribus Conciliis ad Theodorum Rom. Pontificem.

6. *Mundi Cacumen.* S. Fulgentius de Incarnatione c. 2. loquens de fide Ecclesiarum Africae circa Incarnationis Mysterium scribit: « Quod (Mysterium) Romana quae *Mundi Cacumen* est, tenet et docet Ecclesia. »

7. Iustinianus Senior in Epist. ad Ioannem II. « Vestrae innotescat Sanctitati *quae caput* est omnium sanctarum Ecclesiarum. »

8. « Sedes B. Petri *quae in universali Ecclesia* adsignatum sibi a Domino tenet *principatum.* » Anastasius II. Epist. ad Anastasium Imperatorem.

9. « *Sedes Apostolica*, ubi orthodoxorum dogmatum » fundamenta existunt. » Sophronius in Concil. Lateran. sub Martino I.

10. S. Theodorus Studita saec. IX. in Epist. ad Naucratium Romanam Sedem vocat « *Supremum verticalem Thro-* » *num* in quo Christus fidei claves posuit, adversus *quem* » non praevaluerunt unquam nec praevalebunt usque ad » consummationem saeculi portae inferi, ora scilicet *hae-* » *reticorum,* sicut pollicitus est qui non mentitur. »

11. Hinc et merito Concilium Chalcedonense in Epist. ad S. Leonem (Epist. LXV. cap. 2. edit. Baller.) dicebat de Rom. Sede: « Per B. Petrum Apostolorum Principem » Sacrosancta *Ecclesia Romana tenet supra omnes totius* » *mundi Ecclesias Principatum.* »

Haec quae praesertim ad antiqua Ecclesiae tempora pertinent, satis indicant universalem doctrinam de indefectibili fide et de suprema auctoritate Ecclesiae Romanae super omnes orbis Ecclesias.

V.

Iamvero et illud extra omne dubium est, quod inde ab aevo Apostolico in universa Ecclesia supremam regendi et docendi auctoritatem Rom. Pontifices exercuerint, prout Ecclesiae traditio evincit clare ex eo quod R. Pontifices Canones condebant, et ad canones servandos sua auctoritate impellebant reliquos in Episcopatu fratres, unitatis Ecclesiae tamquam custodes et vindices ad unitatem adducebant, unitatem vindicabant, fidei integritatem tuebantur, devios ad fidem revocabant, pertinaces a fidei communione segregabant, oppressorum omnium ex universo orbe perfugium ac recursum recipiebant, in dubiis sive Doctrinae sive Disciplinae quaestiones dirimebant et formulas fidei imponebant, graviorum causarum iudicium sibi reservabant, et per varias Christiani orbis regiones Vicarios sive Delegatos inde a primis saeculis constituebant.

1. Et primo vidimus quod Rom. Pontifex canones condit et alios in Episcopatu fratres ad eorum observantiam cogit. Et quidem cum nonnulli IV. exeunte saeculo in eo versarentur errore ut crederent baptizatos ab Arianis esse denuo ad baptismum redigendos, hunc errorem Liberius Papa correxit, Decretaque generalia hac de re edidit per provincias evulganda (Siricius Epist. ad Himerium Tarracon.).

2. Ipse Siricius in responso ad consultationem Himerii Tarraconensis Episcopi caput VIII. quo cavetur ne inexploratae vitae homines ad Cleri dignitates promoverentur in hunc modum concludit: « Quid ab *universis*

» *post haec Ecclesiis* sequendum sit, quid vitandum ge-
» nerali pronuntiatione decrevimus.»

3. Innocentius I. in Epistola ad Alexandrum Antiochenum Episcopum inter alia duplex Ecclesiasticae Disciplinae caput statuit. Primum: Patriarchatus Antiocheni ius esse aeque metropolitas ac reliquos omnes Orientalis Dioeceseos Episcopos vel per se ordinare, si vicini sint, vel si dissiti sint, per Delegatos Episcopos. Alterum: Divisis Imperiali iudicio provinciis, ut duae fiant in civili politia Metropoles, non inde duos etiam Metropolitanos Episcopos esse constituendos; qua de re Iuvenalis Episcopus Ierosolymitanus in Concilio Ephesino P. II. Act. III. professus est « *Ex Apostolico ordine et tradictione* maxime morem esse ut Antiochena Sedes *ab Romana dirigatur et apud eamdem iudicetur.*»

4. Ipse Valentinianus Imperator Novella quae extat ad calcem codicis Theodos. Tit. 24 de Rom. Pontifice tradit:
« Ne quid tam *Episcopis Gallicanis quam aliarum pro-*
» *vinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri*
» *venerabilis Papae Urbis aeternae auctoritate tentare: sed*
» *illis omnibusque pro lege sit quidquid sanxit vel sanxe-*
» *rit Apostolicae Sedis auctoritas.* »

5. Pariter uti fuit Rom. Sedi maxima cura suis Decretis Ecclesiasticam Disciplinam moderandi, ita non minus eluxit sollicitudo ut venerandi Ecclesiae Canones ubique custodirentur.

6. Et sane Rom. Pontifices ac praesertim Anicetus et Victor adversus Asianos in quaestione de Paschate, et Stephanus in quaestione de baptismate haereticorum adversus Africanos ipsosque Asianos adeo strenue pugnarunt, ut postea Patres Nicaeni in utroque illo sanciendo capite eorumdem sententiam fuerint secuti: Liberius Pa-

pa ad Constantinum scribens dicebat: « Nunquam mea » statuta sed apostolica ut essent semper firmata et cu- » stodita, perfeci. » Et ut firma manerent quae in Synodo Nicaena de voce ὁμοούσιον constituta fuerant, Synodum Ariminensem damnavit.

7. Innocentius I. Acta Synodi ad Quercum ubi Ioan. Chrysostomus damnatus est, rescindit et scribens (Epistola 29 ad Clerum et populum Constantinopolitanum) « haec contra canonum observationem sunt, canonibus » porro obsequendum esse scribimus qui Nicaeae sunt de- » creti, quos solos consectari decet Ecclesiam Catholicam.»

8. Leo Magnus et Gregorius Magnus Rom. Pontifices tanta tamque mirabili constantia canonem Chalcedonensem XXVIII. reprobare non haesitarunt ut Canonum Nicaenae Synodi abrogationem impugnarent.

9. Hinc merito Patres Synodi Constantinopolit. IV. oecumenicae VIII. canonum tam de fide quam de disciplina ab Hadriano II. PP. confirmationem petebant. «Igi- » tur libenter oppido, et gratanter imitatrice Dei Sancti- » tate Vestra omnium nostrum Conventum et universalis » huius, atque Catholicae Synodi consensum, et conso- » nantiam recipiente, praedica eam magis, ac veluti pro- » priam, et sollicitius confirma evangelicis praeceptioni- » bus, et admonitionibus vestris, ut *per sapientissimum* » *Magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis per-* » *sonet, et suscipiatur veritatis verbum, et iustitiae De-* » *cretum.* »

Quae praecedunt satis superque ostendunt universalem ecclesiam in Romano Pontifice agnovisse ius condendi leges et earum observantiam ab omnibus exigendi, nec non confirmandi canones Conciliorum Oecumenicorum, ita ut sine auctoritate et consensu expresso vel

tacito Romani Pontificis nulla lex nullusque Canon ullam vim possit habere in Ecclesia.

VI.

Sed Rom. Pontifices non solum canones condebant, et reliquos in Episcopatu fratres ad observantiam cogebant, sed veritatis custodes et vindices semper existebant, ut plura Ecclesiastica monumenta demonstrant.

1. Et sane uti docet Hieronymus lib. I. in Iovinianum « Unus eligitur, ut capite constituto, *schismatis tolleretur* » *occasio.*»

2. Hanc praerogativam Rom. Ecclesiae et Rom. Pontificis ut supra vidimus, S. Irenaeus qui Apostolica pene vixit aetate, diserte cognovit (lib. III. cap. 3.).

3. Aurelianus Imperator licet Ethnicus sententiam ferens adversus Paulum Samosatenum qui Episcopatu Antiocheno Synodali Decreto depositus Domno in eius locum canonice electo Episcopalem Domum tradere renuebat, decrevit domum « *illi adiudicandam cui* Christiani Italiae et Urbis Romanae Episcopi per litteras tribuendam praescriberent. » Undenam Ethnicus Imperator hoc asserebat, nisi universalis non esset tunc opinio, communionis catholicae tesseram ab Rom. Sede petendam ?

4. Liberius Papa videns in Synodo Mediolanensi S. Athanasium praecipiti iudicio, Arianorum fraudibus, damnatum et unitatis Ecclesiasticae vinculum violatum, non solum Synodi acta rescidit, verum et litteras dedit ad plurimos Episcopos qui ob Nicaenam fidem exilii aerumnis premebantur, quibus eorum animos simul et solatus est et ad unitatis Ecclesiasticae vinculum sustentandum cohortatus.

5. Quum in Ariana Antiochena Synodo Episcopi (Ὀρθοδοξότερα) magis orthodoxi per vim damnati essent, non alio se conferendos putarunt quam Romam (Socr. lib. III. cap. 8.).

6. Iulius I. Ecclesia praesertim Orientali Arianorum, aeque erroribus et fraudibus exagitata sese tamquam murum aeneum et columnam ferream haereticis opposuit atque Athanasium aliosque Episcopos Catholicos in Synodo Tyriae damnatos in communionem recipiens unitatem Ecclesiae restituere conatus est: et haec scribit Epist. ad Orientales: « Episcopi erant et non vulgares Eccle-» siae, quae ista patiebantur, sed quas ipsi Apostoli sua-» met opera ad fidem instruxerant. Cur igitur imprimis » *de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis?* » *An ignari estis hanc consuetudinem esse ut primum* » *nobis scribatur, ut postea quod iustum est definiri pos-* » *sit?* Quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episco-» pum concepta fuerat, *ad nostram Ecclesiam referri opor-* » *tuit.* »

7. Patres autem in oecumenico Concilio Chalcedonensi congregati quasi omnes ex Orientalibus Ecclesiis, Rom. Pontificem vere centrum unitatis et caput mystici corporis Christi et Custodem vineae eius recognoscentes in relatione ad Leonem, recensitis Dioscori excessibus in damnatione Flaviani et restitutione Eutychetis ita ipsum S. Leonem alloquuntur: « Insuper et contra ipsum cui » *vineae* custodia a *Salvatore* concessa est, extendit in-» saniam, idest contra tuam quoque Apostolicam Sanctita-» tem. » Postea. « Quibus (Patribus Synodi) Tu sicut *mem-* » *bris caput* praeeras his, qui tuum tenebant ordinem, » benevolentiam praeferens. »

8. Hinc et S. Leo ipse Serm. IV. (de Natali ipsius

annivers. die Assumpt. edit. Ballerin.) de Rom. Sede dicebat: « ex cuius firmitate *firmitas pendet Episcoporum et » Episcopatus.* »

Quae breviter exposita sunt in hac paragrapho, satis superque ostendunt Romanum Pontificem ab Ecclesia universali hinc ab aevo Apostolico tamquam centrum unionis Ecclesiae agnitum fuisse eidemque Romani Pontifici omnes de fide et disciplina quaestiones, quae unitatem Ecclesiae possent relaxare, undique fuisse relatas, eiusque auctoritate resolutas.

VII.

Ecclesiastica monumenta et illud nobis ostendunt quod Rom. Pontifex per universam Ecclesiam iure suo utens *fidem tueri, quaestiones dogmaticas dirimere, devios ad fidem revocare, pertinacesque a fidei communione segregare* numquam cessarit.

1. Ac sane S. Stephanus Papa ut fidem quam a Divina et Apostolica traditione acceperat, tueretur, tanta tamque mirabili fortitudine pro baptismate in haeresi suscepto pugnavit ut nihil supra. Unde Eusebius lib. VII. cap. 3. summopere Stephanum commendat «quod nihil ad» versus traditionem quae iam inde ab ultimis temporibus » obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit.»

2. Quum Pentapolitani Dionysium Alexandrinum veluti laesae fidei nomine apud Dionysium Rom. Pontificem accusassent (Euseb. lib. VII. cap. 26.), hic sui muneris esse censuit litteras ad Dionysium Alexandrinum mittere et imperare ut suam de argumento, circa quod ipsi lis intentata fuerat, sententiam perspicue aperiret. Scripsit

iste ad Dionysium Rom. Pontificem Apologiam, qua calumnias sibi a delatoribus impactas plene depulit.

3. Medio saeculo III. quum persecutio supra modum in Africa fureret, et Cyprianus in Carthaginiensem suburbanum secessisset, Sedes Apostolica per Clerum Romanum (extremum enim diem obierat Stephanus) datis litteris ad ipsum Cyprianum et ad Cleros Carthaginienses eosdem ad fidem tuendam hortatur ac plebem suo in munere continendam ne superstitione foedetur (apud Cypriano cap. 8.).

4. In gravi illa tempestate qua Ecclesia in Synodo Ariminensi iactata est, quisnam fidei Catholicae Nicaenae patrocinium suscepit, nisi Liberius qui non solum Ariminensem damnavit perfidiam, verum et libenter mandato Imperatoris ab Ecclesia exturbatus et Roma exire coactus in coemeteriis suburbanis ad Constantii usque obitum latitavit? Ammianus Marcell. lib. XV. cap. 12 «Id » ille Athanasio semper infestus, licet sciret impletam » (Athanasii damnationem) tamen auctoritate quoque qua » potiuntur aeternae Urbis Episcopi, desiderio nitebatur » ardenti» Sozom. lib. IV. Cap. 18.

5. Ecclesia Orientali in duas sectiones diuturno schismate divisa, aliis unam, aliis vero tres in divinis hypostases agnoscendas contendentibus, S. Hieronymus ad Rom. Sedem confugiendum censuit, et sic Damasum Papam alloquitur: « Cum Successore Piscatoris et discipulo » Crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum se- » quens, *Beatitudini tuae idest Cathedrae Petri communione* » *consocior:* Super illam Petram aedificatam Ecclesiam » scio....Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paul- » linum. *Quicumque tecum non colligit, spargit*...Discer- » nite si placet, obsecro, non timebo tres hypostases di-

» cere, si iubetis....Ego interim clamito, *si quis Cathe-* » *drae Petri coniungitur, meus est.* Meletius, Vitalis atque » Paullinus Tibi haerere se dicunt. Possem credere, si » hoc unus adsereret: Nunc aut duo mentiuntur aut » omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem tuam per cruci- » fixum, mundi salutem, homousion trinitatem ut mihi epi- » stolis tuis *sive faciendarum, sive dicendarum hypostaseon* » *detur auctoritas.*»

6. Haeresis quoque Apollinaristarum primum a Papa Damaso damnata est an. 375. Idem Damasus Macedonianos aliaque Arianae haereseos mala germina sua potestatis falce recidit (Syn. VI. act. XVIII.)

7. Neque omittenda est ullatenus celebris illa formula fidei quam S. Hormisda saeculo VI. proposuit Orientalibus subscribenda. Iustini Augusti enim tempore Ecclesiae Orientales hanc adversus Acacium Eutychetis defensorem a Bm̃o Papa missam fidei professionem subscripserunt: «Prima salus est rectae fidei regulam custo- » dire, et a Patrum traditione nullatenus deviare; quia » non potest D. N. I. C. praetermitti sententia dicentis: » Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Eccle- » siam meam. Haec quae dicta sunt, rerum probantur » effectibus: *quia in Sede Apostolica immaculata est sem-* » *per servata religio*...Unde sequentes in omnibus Apo- » stolicam Sedem, et praedicantes eius omnia Constituta, » spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes » Apostolica praedicat, esse merear, in qua est integra, » et vera Christianae religionis soliditas: *promittens etiam* » *sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, idest non* » *in omnibus consentientes Sedi Apostolicae*, eorum no- » mina inter sacra non recitanda esse Mysteria. Hanc » autem professionem meam propria manu scripsi, et

» tibi Hormisdae Sancto, et Venerabili PP. Urbis Romae » obtuli. »

8. Ipsimet autem formulae subscripsit Concilium generale VIII. Constantinopolitanum IV. nono saeculo, idest fere quatuor saecula post S. Hormisdae tempora celebratum.

9. Merito etiam S. Basilius scribens ad S. Damasum Papam anno 372. (S. Basilii Oper. Edit. Paris Tom. III. pag. 163.) et mala quae ab haeresi in totum Orientem venerant, praesertim vero in Cappadociam referens rogat eum ut ex more et instituto decessorum suorum auxilium ferat illis Ecclesiis ab haeresi vexatis; sic enim ait: ... « Omnis propemodum Oriens, Pater colendissime .... » ingenti tempestate ac aestu exagitatur: cum dudum quidem sparsa haeresis ab inimico veritatis Ario, nunc » vero impudenter emergens, ac veluti radix amara fru» ctum exitiosum proferens, iam dominetur; propterea » quod sanae doctrinae in unaquaque paroecia signiferi » per calumniam ac iniuriam exciderunt ecclesiis, tradita » autem his, qui simpliciorum animas captivas ducunt, » rerum potestas. Horum unicam solutionem expectavi» mus miserationis vestrae visitationem: ac nos semper » consolata est miserabilis vestra caritas praeterito tem» pore, et laeto rumore allato, fore ut a vobis invisere» mur, animis ad breve tempus corroborati sumus. Post» quam autem spe excidimus, non iam amplius ferentes, » eo devenimus, ut vos per litteras obsecremus, ut ad opem » nobis ferendam excitemini, et ex his qui idem ac nos » sentiunt, mittatis aliquos qui vel dissidentes concilient, » vel Dei Ecclesias ad amicitiam reducant, vel saltem » perturbationis auctores vobis clarius indicent, ita ut » deinceps vobis manifestum sit quibuscum communio-

» nem deceat habere. Omnino autem nihil exposcimus » novi, sed quod et ceteris olim beatis ac Deo dilectis » viris usitatum et praecipue Vobis. Novimus enim ex » serie memoriae a patribus nostris interrogatis et litteris » etiamnum apud nos asservatis edocti, Dionysium beatissi- » mum illum Episcopum qui apud vos et recta fide, et reli- » quis virtutibus enituit, invisisse Ecclesiam nostram Caesa- » riensem et patres nostros per litteras consolatum esse...»

10. Merito etiam Cyrillus alter e praeclaris Ecclesiae Orientalis Doctoribus (Thesaur. lib. I. 21.) tradebat dicens: « oportet nos ut *membra inhaerere capiti nostro Ro-* » *mano Pontifici et Sedi Apostolicae; a quo partes nostrae* » *sunt quaerere quid credere et docere debeamus* et hoc te- » nere (*τί πιστεύειν καὶ τί διδάξειν μέλλομεν καὶ κρατεῖν*) *quo-* » *niam illius tantum proprium est* (*ὅτι αὐτοῦ μόνον ἔστιν*) *repre-* » *hendere, corrigere, confirmare, statuere solvere et ligare* » (*ἐλέγχειν, ἐπιδιορθοῦν, διατιθέναι, λύειν καιδεσμεῖν*).»

11. Hinc et S. Petrus Chrysologus saec. V. hanc a maioribus acceptam doctrinam tradebat, cum in Epistola ad Eutychetem scribebat: « Beatus Petrus qui in propria » Sede *vivit et praesidet praestatque quaerentibus fidei* » *veritatem.*»

12 Eodem saeculo S. Maximus Abbas et Martyr Epist. ad Maximum Diaconum (apud Baronium ad annum 648.) tradebat dicendo: « Ab initio enim incarnati » Verbi universae ubique terrarum Christianorum Eccle- » siae a *S. Romanorum Ecclesia originem habuerunt, fun-* » *damentum solidum et maximum,* contra quod portae in- » feri nullo pacto praevalebunt iuxta ipsiusmet Salvatoris » promissionem ut *habeat scilicet claves orthodoxae fidei* » *et confessionis et aperiat illis* qui ad hanc ipsam Ro- » manam Ecclesiam cum pietate accedunt. »

12. Hinc et S. Agatho PP. saeculo VI. ad Constantinum Pogonatum orientis Imperatorem dogmaticas scribens litteras aiebat « Apostolicam Romanam Ecclesiam » *nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte defle-* » *xisse.* » Has easdem litteras in Concilio Constantinopolitano III. Generali VI. an. 680 Georgius Patriarcha Constantinopolitanus cum sibi prius tradi postulasset Act. IV. professus est se eas amplecti eamdemque fidem sectari; eiusdem Georgii fidem festiva acclamatione commendavit Synodus «Georgio Orthodoxo Patriarchae multos annos!» et omnes Episcopi Sedi Constantinopolitanae subditi cum Georgio se sentire, Agathonis litteras suscipere, fidem profiteri, oppositam haeresim condemnare professi sunt.

13. In hac eadem epistola quae in eadem Synodo VI. act. IV. lecta est et acclamata act. VIII. «tamquam » a Spiritu sancto dictatu per os Sancti ac Beatissimi » Principis Apostolorum Petri» scribit Agatho: «Haec est » verae fidei Regula, quam et in prosperis, et in adver- » sis veraciter tenuit, ac defendit haec spiritalis mater » vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia; » quae *per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostoli-* » *cae traditionis numquam errasse probabitur, nec haereticis* » *novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio fidei* » *Christianae percepit ab Auctoribus suis Apostolorum Prin-* » *cipibus, illibata fine tenus permanet secundum Christi* » *ipsius Domini Salvatoris Divinam pollicitationem, quam* » *suorum Apostolorum Principi S. Evangeliis fatus est:* » *Petre, ecce Satan expetivit, ut cribraret vos sicut qui* » *cribrat triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non de-* » *ficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fra-* » *tres tuos.* Consideret itaque vestra tranquilla Clementia » quod Dominus, et Salvator omnium, cuius fides est,

» qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare » eum fratres suos admonuit: quod *Apostolicos Pontifices* » *meae exiguitatis Praedecessores confidenter fecisse sem-* » *per, cunctis est cognitum* quorum et pusillitas mea, licet » impar, et minima, pro suscepto tamen divina dignatione » mysterio, pediseequa cupit existere. »

14. Sed operae pretium est etiam legere relationem quam ipsum generale Concilium VI. Constantinopolitanum III. sess. VII. Saec. VII. celebratum, fidei definitione contra Monothelitas edita ac omnium Patrum subscriptionibus munita dedit synodaliter ad S. Agathonem PP quam *cum Actis Synodi* transmisit per Legatos confirmationem Concilii ab ipso postulans ; ecce Synodicae relationis verba: « Orthodoxae autem fidei splendidam lucem Vo- » biscum clare praedicavimus: Quam ut iterum per ho- » norabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus » Paternam Sanctitatem: Maximi morbi maioribus indigent » auxiliis, idcirco Christus verus Deus noster sapientem de- » dit medicum vestram a Deo honoratam Sanctitatem, » contagia haereticae luis fortiter propulsantem remediis » orthodoxiae , ac valetudinis robur membris ecclesiae » largientem. Itaque tibi ut primae Sedis Antistiti univer- » salis ecclesiae , *quid gerendum sit relinquimus* , *stan-* » *tis supra firmam fidei petram* libenter perlectis vestrae » confessionis litteris a vestra Paterna Beatitudine ad » piissimum Imperatorem missis, *quas ut a summo Aposto-* » *lorum vertice divine praescriptas agnoscimus;* per quas » exortam nuper multiplicis erroris Sectam haereticam de- » pulimus....ac *ipsos* (haereticos)....*anathematibus inter-* » *fecimus ex sententia per sacras vestras litteras de iis* » *prius lata.* »

15. Hanc autem Supremam docendi auctoritatem Syno-

dus Lugdunensis II. saec. XIII. ubi interfuerunt Patriarchae Constantinopolitanus et Antiochenus et quingenti Episcopi et septuaginta Abbates, Praelati inferiores mille, Oratores Imperatoris Orientis Michaelis Palaeologi et aliorum, et sessione VI. lectae sunt epistolae ipsius Palaeologi (seu potius eius fidei Professio) ad Summum Pontificem Gregorium X. totius ecclesiae Orientalis scriptae nomine, in quibus haec inter alia de Romana Ecclesia leguntur: « Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem » defendere: sic *et si quae de fide subortae fuerint quae-* » *stiones, suo debent iudicio definiri.* » Itemque lectae sunt litterae Praelatorum Graecorum ad eumdem Pontificem, in quibus se cum Imperatoris fide in omnibus convenire declarabant. « Hoc scilicet Dei gratia cooperata est, ut » habeat ex nobis Apostolica Magnitudo vestrae Sancti- » tatis sententiam agnoscere; qualiterque magnifico Im- » peratori nostro *simul convenerimus in Sententia.* » Quae litterae adeo in generali sacrosancto Conventu probatae sunt, ut iis habitis, ac perlectis in communionem, et ad unitatem Catholicae Ecclesiae recepti fuerint Graeci Imperator, et Episcopi.

16. Deciana persecutione furente quum plurimi fideles aeque Clerici et laici lapsi in idololatriam essent, S. Cornelius Papa Canones constituit ad eosdem facilius ad fidem et ad poenitentiam iuxta revocandos; item impiam Novatiani doctrinam damnavit qui lapsos perpetuo ab Ecclesia arcendos contendebat. Cum vero nonnulli Novatiani Sectatores in Ecclesiae communionem reditum cogitarent, cum his benigne agendum duxit et rigorem disciplinae tantisper remittendum curavit.

17. S. Higinus Papa ab Ecclesia eiecit Cerdonem erroris Marcionitarum Auctorem. S. Iraen. lib. I. cap. 22.

*

18. Victor Papa Asianos Decreto a se promulgato de celebrando Pascha obtemperare detrectantes anathematizandi consilium inierat (Euseb. lib. V. cap. 24.). Idem Rom. Pontifex Theodotum, Ebionem et Artemonem, Sabellium quoque et Noetum adiudicavit (Hieron. de viris Illust. XXXIII.).

19. Zephyrinus Papa Proclum pertinacissime Montani sectatorem damnavit (Euseb. lib. V. cap. 28. et lib. VI. cap. 14. et 20.).

20. Cornelius Papa Novatianum (Cypr. Ep. 55.). Damasus Papa primum Ursacium et Valentem anathemate perculit, dein et Auxentium eiusque Sectatores deposuit (Apud Athanas. Epist. ad Africanos et apud Theodoretum lib. II. cap. 22. et apud Socrat. lib. VI. cap. 25.).

21. Innocentius I. haeresim Pelagianam primus ex Pontificibus Apostolico mucrone percussit (Socrat. lib. VII. cap. 9.).

22. Anastasius I. impia περὶ ἀρχῶν volumina proscripsit (Hier. Ep. 130.).

23. Siricius Papa Iovinianum aliosque damnavit haereticos: unde Ambrosius in rescripto ad Siricium: « Ita» que Iovenianum, Auxentium, et quos Sanctitas Tua da» mnavit, *scias apud nos quoque secundum iudicium tuum* » *esse damnatos.* »

Quae hucusque in hac paragrapho attulimus evidenter ostendunt antiquae ecclesiae traditionem de praerogativa illa qua pollet Romana Sedes, Romanique Pontifices legitimi B. Petri Successores et qua fit ut in dirimendis quaestionibus dogmaticis solemni suo magisterio eosdem nunquam errasse, nec errare potuisse adstruatur, cum Romani Pontifices supremam a Deo obtinuerint potestatem pascendi Ecclesiam universalem, os Beati Petri exti-

terint et fundamentum, ac Petra inconcussa sint Ecclesiae, ita ut si unquam in dogmaticis suis iudiciis *caput* Ecclesiae falli et fallere posset, actum esset quoque de indefectibilitate Ecclesiae, quae *corpus* est.

VIII.

Aliud quoque praeclarum de Rom. Pontificis suprema regendi auctoritate argumentum ex eo eruitur quod oppressorum omnium ex universo orbe ad Rom. Sedem perfugium et recursum acceperit.

Ac 1. Marcion ab Episcopo suo excommunicatus ad Pium I. Romam se contulit ut absolutionem acciperet (Epiph. Haeres. XIII.).

2. Fortunatus et Felix a Cypriano communione privati ad Cornelium Papam provocarunt (Cypr. lib. I. Ep. 3.).

3. Athanasius ab Orientalibus depositus ad Iulium I. sese recepit, ut restitueretur (Sozom. lib. III. cap. 2.). Paullo post Concilium Sardicense recognovit ius ut Episcopi in Synodis Provincialibus depositi ad Rom. Pontificem adpellare possent (can. V.).

4. Maximus in Concilio Constantinopolitano depositus ad Rom. Sedem appellavit, ut, Nectario reprobato, Constantinopolitanam Sedem retinere posset (confer Valerium in Notis ad Sozom. pag. 151.).

5. Eustathius Episcopus Sebastenus in Concilio Meliteno ab Arianis depositus ad Liberium Papam se contulit a quo litteras obtinuit, quarum auctoritate in suam Sedem restitueretur. Unde ut loquitur Basilius Ep. 73. « Liberii Epistolam adtulit, per quam restitueretur. Eam » ubi *Thyanensi Synodo exhibuit, in suum locum restitu-* » *tus est.* »

6. Eutyches a Flaviano Episcopo Constantinopolitano damnatus ad Leonem Papam confugit a quo sane susceptus non est (S. Leo Epist. ad Flavianum).

7. Ad Leonem ipsum adpellavit Flavianus in Pseudo-Synodo Ephesina, tradito Legatis Sedis Apostolicae libello (Epist. Valentin. ad Theodosium et Epist. Leonis ad Theodosium).

8. Teodoretus, quod Nestorio favere videretur, in Concilio Ephesino damnatus ad Leonem quoque adpellavit a quo in communionem receptus est. Unde Act. II. Concilii Chalced. « Ingrediatur et R̃mus Episcopus Theodore-» tus ut sit particeps Synodi *quia restituit ei Episcopa-» tum SS. Archiepiscopus Leo* » et Act. VIII. iidem Iudices Concilii sententiam pro Theodoreto postularunt. « Sic » ut et SS. Leo Archiepiscopus iudicavit » quibus concinens totum Concilium dixit « *Post Deum Leo iudicavit* etc. »

8. Hinc et ipse Theodoretus qui Cyri Episcopus erat saeculo V. (inter opera S. Leonis edit. Ballerini Ep. 52.) scribens ad S. Leonem ab Euphratesia praeclaris verbis supremam hance S. Sedis iudicandi, regendi et docendi quoque auctoritatem et privilegia exponit dicens: « Si Pau-» lus Praeco veritatis, tuba Spiritus Sancti, ad Magnum » Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali con-» versatione ambigebant, explicationem ab illo referret, » multo magis nos humiles et pusilli ad Apostolicam Se-» dem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus re-» medium a Vobis accipiamus, vobis enim *primas in omni-» bus tenere convenit.* » Multa deinde exponit insignia Romanae Sedis, atque addit: « Praecipue autem illam fi-» des ornat, cuius testis idoneus est divinus Paulus cla-» mans : Fides vestra annunciatur in universo mundo.

» Quod si statim post suscepta salutaris praedicationis » semina mirabiles hos fructus uberrime protulit, prae- » dicandae quae in ea nunc viget, pietati quaenam par » esse possit oratio? Habet praeterea communium Patrum » magistrorumque veritatis Petri, et Pauli Sepulchra, fi- » delium animas illuminantia... Hi Sedem Vestram no- » bilissimam reddiderunt, hic bonorum vestrorum est » apex. At illorum Sedem» (observa, quod ex Theodoreto Sedes Rom. Pontificis Sedes est Petri in Successoribus suis) « nunc etiam illorum Deus illustravit dum in ea » Sanctitatem vestram rectae fidei radios fundentem con- » stituit.... Nos vero .... supplices oramus Sanctitatem » Tuam, ut tempestate iactatis Dei Ecclesiis» (quae certe Orientis erant) « opem ferat.... At ego Apostolicae ve- » strae Sedis expecto sententiam» (quoad damnationem ab Alexandrino Antistite contra seipsum prolatam) « et oro » atque obtestor Sanctitatem Vestram, ut mihi rectum ac » iustum tribunal vestrum invocanti opem ferat, iubeatque » ad vos venire» (igitur auctoritate pollet Supremus Pontifex, qua iubeat Antistites ad tribunal suum accedere), « et doctrinam meam Apostolicis vestigiis inhaerentem » ostendere etc. »

9. S. Ioannes Chrysostomus ab Episcopis Aegyptiis exagitatus immo et depositus ad Innocentium I. confugit, qui et SSmum Episcopum in communionem adscivit et litteras dedit ad Clerum et populum Constantinopolitanum in quibus scribit indignum et intolerabile prorsus esse facinus illud scilicet deiectum per vim Episcopum non servato iudicii specimine et contra canones (Epist. Innoc. ad Chrysost.).

10. Ioannes Patriarcha Alexandrinus a Petro Moggo haeretico, urgente Imperatore Zenone, Episcopatu detur-

batus ad Simplicium Papam adpellavit (Liberat. in Breviarii cap. 28.).

Plura heic possent adferri similium appellationum exempla; verum hactenus producta satis videntur pro re nostra et palam ostendunt supremam auctoritatem Romanorum Pontificum regendi et gubernandi universam Ecclesiam, eosque tamquam Supremos et inappellabiles iudices agnitos fuisse, et iudicia eorum tamquam irrefragabilia oracula iam usque a primordiis Ecclesiae non solum in Occidente sed in toto Oriente passim ac semper in honore ac veneratione habita fuisse.

IX.

Sed et illud in Ecclesiae traditione ab aevo Apostolico videmus quod in dubiis sive doctrinae sive disciplinae communis Romanam Sedem universa ecclesia consuluit.

Ac 1. in ipsis nascentis Ecclesiae exordiis occurrit Epistola Corinthiorum ad S. Clementem I. Rom. Episcopum in qua post expositam discordiae apud ipsos obortae causam, opem et consilium implorabant; et prout S. Irenaeus lib 3. adversus haereses cap. 3. testatur » *scripsit potentissimas litteras Corinthiis* ad pacem eos » congregans et reparans fidem eorum et annuntians » quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem. »

2. Saeculo II. S. Policarpus Romam se contulit ad Papam Anicetum ut cum eo de die Paschatis ageret.

3. Saeculo III. in quaestione de Lapsis S. Cyprianus Rom. Sedem consuluit (S. Cypr. Epist. ad Fabianum et ad Clerum Rom.).

4. Dionysius Alexandrinus de Sabellianis haereticis utpote qui tunc temporis increscebant, Sixtum II. certiorem fecit (Euseb. lib. VII. cap. 2.), et in quaestione de Baptismo haereticorum sub Stephano Papa disceptari coepta, humiliter consuluit. « Nam profecto opus habeo, in- » quit, frater consilio tuo et sententiam tuam expeto *ne* » *forte ipse halluciner* » (Euseb. ibid. cap. 5. et 9.).

5. Saeculo IV. Hieronymus Epist. ad Ageruchiam diserte scribit se apud Damasum *ad respondendum Synodicis consultationibus* quae *ex Oriente* et Occidente ad Rom. Sedem mittebantur, operam navasse. « Quum in » chartis Ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae Urbis » Episcopum et Orientis atque Occidentis Synodicis con- » sultationibus responderem » (Hier. Epist. XI.).

6. Saeculo V. damnata haeresi Pelagiana Synodi Milevitana et Chartaginiensis ad Innocentium I. retulerunt ut Synodicae definitioni Apostolicae Sedis auctoritas adiungeretur, qua de re Augustinus Serm. XI. «Iam de hac re, » inquit, duo Concilia ad Rom. Sedem missa sunt, *inde* » *rescripta venerunt, causa finita est.* »

7. Hinc Innocentius Papa Ep. ad Concilium Milevitanum (quae est Epist. 31. inter Epist. Aug.) dicit: «Diligen- » ter et congrue Apostolici consulitis honoris arcana (ho- » noris inquam illius, quem praeter illa quae sunt ex- » trinsecus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum) *super* » *anxiis rebus quae sit tenenda sententia, antiquam scilicet* » *regulam secuti quam toto semper ab orbe mecum nostis* » *esse servatam.* Neque enim hoc vestram credo latere » prudentiam: qui id etiam actione firmastis, nisi scientes » quod *per omnes Provincias de Apostolico fonte petenti-* » *bus responsa semper emanent:* PRAESERTIM quoties FIDEI » RATIO VENTILATUR, arbitror omnes fratres et Coepiscopos

» nostros *nonnisi ad Petrum* idest sui nominis et hono-
» ris auctorem referre *debere,* veluti nunc retulit dilectio
» vestra *quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus*
» *prodesse.* »

8. Gelasius autem Papa in Commonitorio ad Faustum haec scripsit: « Quantum *ad Religionem pertinet non-*
» *nisi Apostolicae Sedi* iuxta canones, *debetur summa iu-*
» *dicii totius.* »

9. Cyrillus Alexandrinus comperta Nestorii haeresi sic ad Caelestinum Papam scribebat: « Si silere et non pie
» tatem tuam de *omnibus quae moventur, litteris certiorem*
» *facere citra culpam sinistrae suspicionis* metum liceret,
» *praesertim in rebus* adeo necessariis ubi *fides periclitatur,*
» in memetipso diceretur: Bonum et periculi expers est
» silentium.... – Sed quoniam Deus hisce in rebus vigi-
» lantiam nostram exigit, et *longa consuetudo Ecclesiarum*
» *suadet ut huiusmodi res cum Sanctitate tua communicetur,*
» scribo plane *necessitate adactus* » (Epist. VIII. num.1.). »

10. Tum Caelestinus Nestorium haereseos auctorem sacerdotio privat et Cyrillo dat in mandatis ut Rom. Sedis auctoritate adscita sententiam illam exequatur, et « *Constantinopolitanae Ecclesiae prospiciat.* » Hoc Caelestini iudicium in Synodo Ephesina probatum est. Quum enim Patres in Nestorium damnationis sententiam proferrent, se « *ad id coactos esse* fatentur et a sacris *canonibus* et
» ab Epistola SS̃mi Caelestini. »

11. Eadem Ephesina Synodus in sua ad eumdem Papam Epistola haec praeclara verba scribit: « Quia mos
» est vobis ita *magnis existentibus* in omnibus *bene pro-*
» *bare et omnia studia Ecclesiarum vestra propria facere*
» *quoniam oportebat omnia ad scientiam tuae Sanctitatis*
» *referre* » (Epist. Caelest. XXX. n. 1.).

12. Concilii Chalcedonensis Patres S. Leoni retulerunt se viginti supra quingentos convenisse, tum deinde subscribunt: « Quibus *tu* velut *Caput* membris praeeras » (Apud S. Leonem Epist. 90. n. 1.) et dogmaticas eiusdem litteras reverenter, uti par erat tamquam irrefragabile iudicium recipientes, *Petrum per os eiusdem loquutum* fuisse fatebantur

13. Hinc merito Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha saec. VII. Stephano Dorensi Episcopo (in libello qui lectus est in Concil. Rom. sub Martino I.) dicebat: « Quan- » tocitius ergo *de limitibus terrae ad terminos eius deam-* » *bula, donec ad Apostolicam Sedem ubi Orthodoxorum* » *Dogmatum fundamenta existunt, pervenias.* »

14. Merito etiam S. Theodorus Studita ad Michaelem Balbum Imperatorem (Epist. 86. lib. I.) qui errore Iconoclastarum imbutus vellet concilium Constantinopoli convocare et quid tenendum statuere, sic scribebat cum aliis Orientalibus Orthodoxis Episcopis: « Quod si quid » est huiusmodi de quo ambigat aut diffidat divina ma- » gnificentia vestra, pie a Patriarcha dissolvi posse: iu- » beat.... *ad communem utilitatem a vetere Roma suscipi* » *declarationem prout olim et ab initio paterna traditione* » *transmissus mos fuit.* »

15. Iustinianus Imperator Ioannem II. Papam (Ioan. II. Epist. III. num. 3.) ita alloquebatur: « Nec enim pati- » mur quidquam, quod ad *Ecclesiarum statum pertinet,* » quamvis *manifestum et indubitatum sit, ut non vestrae* » *innotescat Sanctitati, quia caput est omnium Sanctarum* » *Ecclesiarum.* »

16. Idem Imperator non minus perspicue hunc animi sui sensum aperit in Epistola ad Regiae Civitatis Episcopum: « Nec enim patimur, inquit, ut quidpiam

» eorum quae ad *Ecclesiasticum spectant statum,* non etiam » ad eiusdem referatur Beatitudinem; *cum ea sit Caput* » *omnium Sanctissimorum Dei Sacerdotum;* vel eo maxime » quod quoties in eis locis haeretici pullularunt et *sen-* » *tentia* et *recto iudicio illius Venerabilis Sedis coerciti* » *sint.* »

Ex his quae in hac paragrapho prolata sunt antiquae traditionis documentis, illud manifeste adstruitur quod solius Romani Pontificis ius erat dubia quaecumque de fide, vel disciplina, ab universo Orbe Catholico sibi vindicare, eadem dirimere et iudicium prolatum partibus imponere.

X.

Praeter ea quae huc usque diximus et illud testatur historia quod graviorum causarum iudicium Rom. Sedi reservatum fuerit.

1. Et sane Innocentius I. in Epist. ad Victricium Episcopum Rothomagensem hanc praerogativam Apostolicae Sedis contendit dicens: «Si autem maiores caussae » in medium fuerint devolutae, ad *Sedem Apostolicam,* » *sicut Synodus statuit, et vetus consuetudo exigit, post* » *Episcopale iudicium referantur.*» Eamdem praerogativam in Epist. ad Synodum Milevitanam Sedi Apostolicae tribuit iuxta canones.

2. Unde et Cyprianus Epist. 13. lib. III. ad Stephanum Papam, ipsum rogat ut « ad plebem Arelate con- » sistentem litteras dirigat, quibus abstento Marciano alius » in locum eius substituatur. »

3. Caussa Eusthatii Diaconi quem tamquam de haeresi Episcopi Macedoniae damnaverant, ad Liberium re-

lata est, qui ipsum gradu suo deiicere noluit quod haereticum minime iudicabat (Basil. Ep. 54.).

4. Leo I. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem scribens ita eum instruit: «Si forte inter ipsos qui prae- » sunt de maioribus (quod absit) peccatis caussa nascatur, » quae provinciali nequeat definiri examine, fraternitatem » tuam de totius negotii qualitate Metropolitanum curabit » instruere et si coram positis partibus, nec tuo fuerit » res soluta iudicio, ad nostram cognitionem quidquid » illud est, transfertur. »

5. Eamdem praerogativam S. Sedis agnoverunt Patres Sardicenses dum Epistola Synodica ad Iulium I. sic scribebant: « Hoc enim optimum et valde congruentissimum » esse videbitur, si *ad Caput* idest *Petri Apostoli Sedem* » *de singulis quibusque provinciis Domini referant sa-* » *cerdotes.* »

6. Causa Bubalii et Tauriani in Synodo Macedoniae iam cognita ad Innocentium I. delata fuit, et ab eo retractata; quoniam de Episcoporum agebatur depositione (Innoc. I. Ep. ad Episcopos per Macedoniam constitutos).

7. Quod spectat postremo ad Episcoporum ac praecipue Patriarcharum *depositiones* 1. Dioscorus Alexandrinae Ecclesiae Episcopus in Synodo Chalcedonensi auctoritate praecipue Sedis Apostolicae depositus est (Concil. Chalced. Act. II.).

8. Flavianus Patriarcha Antiochenus a Damaso Papa depositus est (Theod. lib. V. cap. 23.).

9. Nicolaus I. in Epistola ad Michaelem Imperatorem octo recenset Patriarchas ab Rom. Pontificibus depositos.

10. Ipsemet Damasus Apollinarem Episcopum Laodicenum eiusque discipulum Timotheum Episcopum Alexandrinum deposuit (Sozom. lib. III. cap. 25.); et ipsimet

Patres Synodi Constantinopolitanae I. Generalis II. (Labb. Tom. III. pag. 1145.) exauctorationem eiusdem Timothei a S. Damaso supplices postulaverunt.

11. Hinc et exercere iudicium κατ' ἐξοχὴν id est *supremum iudicium* Romanis Pontificibus erat, quare et in Synodo Ephesina I. Generali III. Act. III. Philippus presbyter Sedis Apostolicae Legatus coram Synodo dicebat: « Nulli dubium, imo saeculis *omnibus notum est,* quod » Sanctus *Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps*... » *qui ad hoc usque tempus semper in suis successoribus* » *vivit* et *iudicium exercet* » quibus auditis S. Synodus dixit: « Cum Arcadius....et Philippus Presbyter et Apo- » stolicae Sedis Legatus *consentaneum sint locuti, conse-* » *quens est etc.* »

12. Sixtus III. Polychronium Episcopum Ierosolymitanum deposuit misso hac de causa in Ierusalem S. Leone Archidiacono qui postea fuit Papa (Acta Sixti III. in collect. Concil.).

13. Uti autem ius deponendi, ita quoque ius suis restituendi sedibus Episcopos praecipue Patriarchas Rom. Pontifex semper exercuit. S. Athanasius Alexandrinus, Marcellus Ancyranus, et Paulus Constantinopolitanus a Synodo Orientali depositi, a Iulio I. suis sedibus sunt restituti. Hinc Sozom. lib. III. cap. 7. refert: « Quum propter » Sedis Dignitatem *cura omnium ad ipsum spectaret, sin-* » *gulis suam Ecclesiam restituit....Athanasius et Paulus* » *ad suas Sedes revertuntur, litterasque Iulii Episcopis* » *Orientis mittunt.* »

Ex his quae praecedunt manifeste evincitur quod cum Ecclesia Catholica in Romano Pontifice supremi iudicii officium et ius plene agnovisset, nullus cuiuscumque gradus et dignitatis foret, audebat causas maiores tractare,

sed illico eas omnes ad Rom. Pontificem deferebant undique Ecclesiae Orientis aeque ac Occidentis, ut pro suprema sua auctoritate rem diiudicaret.

XI.

Suprema Rom. Pontificis auctoritas regendi universam Ecclesiam ab illo capite quoque evincitur quod Vicarios sive Delegatos iam inde a primis saeculis per varias Christiani Orbis regiones constituere Rom Pontifices consueverint.

1. Et sane Innocentius I. suorum exemplis Decessorum insistens Anicium Thessalonicensem Episcopum Vicarium sive Delegatum suum constituit, cui cognitionem mandat causarum omnium quae per totum Illyricum possent oriri. Hanc eamdem Delegationem causarumque inquisitionem idem ipse Pontifex Rufo in Thessalonicensi Sede Anicii Successori confirmat his verbis: « Prudentiae » gravitatique tuae committendam curam, causasque si » quae orientur per Achaiae Thessaliae, Epiri veteris, Epiri » novae et Cretae, Daciae Mediterraneae, Daciae Ripensis, » Maesiae, Dardaniae ac Praevali Ecclesias, Christo Do» mino annuente, censeam.»

2. Caelestinus Papa autem Ep. III. Illyrici Episcopos sic hac de re adloquitur: « Sunt culpae aliquantae non » leves, quae illis innatae provinciis ad nos, *cum simus* » *longius,* non possunt pervenire, aut iam semotis omni» bus, non ita ut sunt acta, interposito temporis spa» tio perferuntur, *quas omnes nos intercessione* fratris et » Coepiscopi nostri Rufi.....volumus resecari, cui vicem » nostram per vestram Provinciam noveritis esse com-

» missam ita ut ad eum fratres carissimi *quidquid de* » *caussis agitur referatis.* »

3. Sixtus autem III. Epist. VIII. n. 3. ita refert: « Nos » fratri et Coepiscopo nostro Thessalonicensi Anastasio » tantum tribuimus, quantum decessoribus ipsius a ma- » ioribus nostris adtributum. Ad Thessalonicensem ma- » iores caussae referantur Antistitem. »

4. Constitutos etiam fuisse Apostolicae Sedis Vicarios patet. 1. S. Cyrillum Alexandrinum, qui Rom. Pontificis sententiam contra Nestorium executioni mandavit, ut ex litteris Caelestini ad Cyrillum manifeste evincitur: «*Au-* » *ctoritate tecum nostrae Sedis adscita, nostra vice usus,* » hanc exequeris districto vigore sententiam ut aut *intra* » *decem dies* pravas praedicationes suas scripta profes- » sione condemnet , aut nisi hoc fecerit, mox Sanctitas » Tua illi Ecclesiae (Constantinopolitanae) provisura...»

5. Pontianus Episcopus cui S. Leo *curae suae* vices commisit ut in Africam properaret ibique sententiam diceret de quibusdam Episcopis qui praeter leges electi fuerant (S. Leo Epist. I. n. 1.).

6. Acacius Constantinopolitanus , cui S. Simplicius Ecclesias totius Orientis commendavit, eamque ipsi curam commisit ut ad ea quae in Orientis partibus gererentur intentus, nota itidem ipsi faceret quae ad Catholicae veritatis custodiam pertinebunt (Epist. XVIII. n. 1.). Et sane Acacius statim ad Romanam Sedem retulit flagitia et errores Petri Mongi: etsi postea cum obstinatior esset in tuendis ipsius Mongi partibus, anathema sibi a Rom. Pontifice meruerit.

7. Iulianus Episcopus Coae eodem Vicariatus per Ecclesias Orientis munere a S. Leone exornatus fuit postquam Anatolium propter negligentiam ea dignitate spo-

liaverat: « Hanc specialem *vice mea* functus assumas, ne » haeresis vel *Nestoriana* vel *Eutychiana in aliqua parte » revirescat: quia in Episcopo Constantinopolitano catho- » licus vigor non est ,* nec multum aut pro sacramento » salutis humanae aut pro sua est aestimatione sollicitus » (S. Leo Epist. III. n. 2.).

8. Idem significat S. Leo Epist. II. n. 3. ad Marcianum Imperatorem : « *De fidei eius sinceritate confidens vicem » ipsi meam* contra temporis nostri haereticos delegavi.»

9. Siricius autem Papa et illam Thessalonicensi suo Vicario praerogativam contulit ut « nulli licentia esset sine consensu illius in Illyrico Episcopos ordinandi » (Epist. IV. n. 10.).

Quae hactenus attulimus ex primaevis Saeculis Ecclesiae praesertim Orientalis satis superque haec duo adstruunt. 1. In Sancta Sede Romana et in Rom. Pontificibus Supremum ius gubernandi et docendi universam Ecclesiam in orientali praesertim Ecclesia hinc ab aevo Apostolico agnitum, et professum fuisse. 2. Hoc eodem iure supremos Rom. Pontifices usque a primaevis Ecclesiae temporibus plurimis in causis sive super Sedes patriarchales sive super quascumque Sedes ab iisdem Patriarchis dependentes usos fuisse sine ulla unquam contestatione. Imo saepe saepius illae Rom. Pontificum auctoritatem invocaverunt Orientalium Ecclesiae ad dirimendas quaestiones dogmaticas et disciplinares, quin aliquis umquam ausus fuerit eorundem decisionibus reluctari vel ab iisdem appellare.

Hinc et illud consequitur quod doctrina Catholica de suprema docendi et gubernandi auctoritate Rom. Pont. non nova est nec futilibus documentis suffulta, neque ex scholasticis traditionibus deprompta, sed insita in eadem

Ecclesiae Christi natura et constitutione, quam passim et luculenter professa est tota Ecclesia et praesertim Orientalis usque a primaevis Saeculis, prout huc usque allata documenta satis superque ostendunt.

XII.

Sed non minus ab universali Ecclesia, nostra Armena Ecclesia eamdem tenuit doctrinam de iuribus et praerogativis Rom. Pontificis: liceat ergo mihi distinctis paragraphis ea omnia documenta in medium afferre, quae rem evidenter demonstrare valeant, ex quo aliud argumentum ceteris accensendum praesto sit de iuribus et praerogativis Romani Pontificis et simul antiquae Ecclesiae Armenae traditio perlustrata, a tot tantisque Pseudomagistrorum calumniis eadem penitus eripiatur.

Ut autem aliquo ordine ac methodo procedam in adducendis Ecclesiae Armenae argumentis; primo quidem ea producam documenta liturgica quae in Rituali nostro quod *Mastotz* nominatur, continentur; secundo quae in Nomocanone Armeno, tertio quae apud Patres Ecclesiae Armenae, quarto quae in Conciliis eiusdem Ecclesiae dicta sunt de eodem subiecto, in medium afferam. Quinto denique principalia tantum producam ex iis quae passim inveniuntur in scriptis et in litteris Patriarcharum et Episcoporum Armenorum de Primatu et de Praerogativis Rom. Pontificis.

1. A primo itaque argumentorum genere incipiendo iuvat in medium afferre quod legitur in Rituali nostro de Primatu S. Petri in Benedictione lapidis fundamenti Ecclesiae. Ita ergo Ecclesia orat in eadem occasione: « Domine Deus

» Noster qui nomen S. Principalis Apostoli Petri vocasti Pe-
» tram et super eum (vel eam) aedificasti *universam Eccle-*
» *siam Catholicam.* » In consecratione autem Episcopi de obedientia S. Petro et eius Successoribus ab oblatis (quo nomine apud nos promovendus intelligitur) haec leguntur in Rituali Armeno : « Interrogat Patriarcha oblatum
» ad Episcopatum: Visne tu Beato Petro , *cui potestas a*
» *Deo tributa fuit ligandi et absolvendi,* nec non S. Illu-
» minatori Nostro Gregorio, *eorumque* Successoribus pro
» tempore sedentibus *obedientiam et fidelitatem praestare?*
» Respondet oblatus: Volo. » Post autem Episcopi consecrationem ita admonet Patriarcha Episcopum consecratum: « Frater dilecte cum ad ordines promoveris alios ,
» fac ut iuxta canonum decreta, et tempore ab eis de-
» finito ordinationem perficias *prout rectae Constitutiones*
» *Ecclesiae Romanae definiunt.* » Haec omnia adhuc in libris liturgicis etiam apud schismaticos leguntur: in aliquibus videtur nomen S. Petri et Ecclesiae Romanae ita manifeste expunctum ut facile sit legere quae scripta erant.

Hisce autem testimoniis non modo Primatus S. Petri eiusque Successorum declaratur, verum etiam palam eruitur Ecclesiam Armenam exigere ab Episcopis *obedientiam et fidelitatem* Rom. Pontifici, et praeterea iisdem imponere obligationem *observandi quae definita sunt ab Ecclesia Romana de sacris ordinationibus,* quo ostenditur Ecclesiam Armenam in *disciplina liturgica* et *canonica* quoque Constitutionibus Sanctae Romanae Ecclesiae inhaesisse.

2. Quoad vero testimonia excerpta ab Hymnario Armeno quod Armeniace *Sciaragan* appellatur, ea tot tantaque sunt, ut solummodo principalia afferre sufficiat

In Canone seu officio ergo Apostolorum Petri et Pauli haec leguntur: « (Deus) qui Beatum Petrum nominasti » fieri *Supremum* Electorum Apostolorum Classis, *Caput* » *Sanctae fidei, fundamentum Ecclesiae*, qui essentiam » ineffabilis Unigeniti superna revelatione Patris profitens » beatissimam meruit gratiam *Petra inexpugnabilis* a por- » tis inferi. » Item in Canone S. Hebdomadae in pulcherrimo hymno « *Aisor Angiar* » in XXIII. vers. canitur: « Deus qui gratia donasti Petram fidei, *conservando illam* » *ne contereretur, et extulisti eam ne rueret.*» In canone autem Ecclesiae haec leguntur: «Salvum fac filium filii tui » quem per Romanam Sedem honore auxisti, ubi posue- » runt *Petram fidei* et *fundamenti Sanctae Ecclesiae.*» Item in eodem canone sic chorus Deum precatur de SS. Petro et Paulo simul dicens: « qui elegit Beatos Apostolos binos » fidei, *columnas Ecclesiae* concedendo illis *Thronum iu-* » *dicationis in universo orbe.*» In praedicto canone Sanctae Hebdomadae B. Petrus passim nominatur « *Caput* electi coetus» «*Petra fidei*» et similia, et speciatim nomen Armenum *Arakelabed,* quod significat *Caput Apostolorum, unice* et *perpetuo* B. Petro reservatum est, ita ut nemini alii tribuatur, et per nomen istud *sine alio additamento,* B. Petrus intelligatur. Hinc facile est eruere quod Ecclesia Armena semper tenuit et credidit B. Petrum esse Caput et fundamentum Ecclesiae et quidem *Petram fidei,* quae est phrasis praedilecta in lingua Armena ad indicandam indefectibilitatem fidei B. Petri, et Romanae Sedis.

3. Hymnario adnectitur *Synaxarium* quod etiam legitur in Ecclesiis nostris statutis diebus, et est opus vetustissimum: Armeniace *Aismavurk* nominatur quod Menologio seu diptychis Graecorum respondet. Ibi autem sub die 2 Ianuarii agitur Commemoratio S. Sylvestri

Papae eiusque vita describitur his verbis: « *Praecipit* » S. Sylvester *omnibus Christianis* ut Paschatis festum » eodem simul tempore celebrarent; *sancivit* etiam ut die- » rum hebdomadae *mutarentur* nomina ; praeterea Ni- » caenum Concilium *fieri iussit.* » Haec verba ostendunt luculenter ab antiquis istis temporibus Ecclesiam Armenam agnovisse supremam Rom. Pontificis auctoritatem *ordinandi* disciplinam per universam Ecclesiam, *sanciendi* quae ad ipsam attinent, *mutandi* quae in ea moderanda crederet et Concilia oecumenica *indicendi*, ita ut ipse iam *sine opera Concilii* diem celebrationis festi Paschatis decreverit et omnibus Christianis illud praeceperit: praeterea autem Nicaenum indixerit Concilium.

4. In eodem libro 24 die, mensis Maii legitur hominem quemdam saecularem a Presbytero excommunicatum, et post illius obitum poenitentia ductum absolutionem petiisse; et mox de illo subdit: «Peragrabat monasteria, et » *peritiores Armeniorum Doctores consulebat*, remedium » insanabili aegritudini suae petendo. Cui responsum de- » derunt *sapientiores tunc temporis Praesules* dicentes : ad » sanationem gravissimi vulneris tui nullum superest re- » medium *nisi ut Romam* pergas, ubi sunt aperientes et » claudentes Regnum coelorum, SS. apostoli Petrus et » Paulus, atque ligantes et solventes in coelo et in terra; » ipsi possunt vulneribus tuis mederi. Ille autem sine » mora properavit proficisci ; pro nihilo ducens itineris » longitudinem , ac Deo favente pervenit ad urbem. » Atque ibi , ut fuse prosequitur narrator , absolutionem mire consecutus est. Narratio haec licet nonnullis videatur dubiae fidei, manifeste tamen probat universam armeniae Nationis *persuasionem de suprema auctoritate Sedis Apostolicae.*

5. Vitae SS. Patrum (ed. CP. c. XVI. p. 350.) quod apud nos *Vark Haranz* nominatur, et in Ecclesiis et monasteriis passim in usu et veneratione habetur, referunt quod cum tres viri religiosi propter aliquam culpam a sacrorum communione interdicti fuissent a Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano; «tunc dixe-
» runt ad invicem: *adeamus Papam Romae,* et ipse iu-
» dicium nobis ferat hac de re. Profecti itaque ad Ro-
» manum Pontificem, retulerunt illi haec omnia, dicen-
» tes: ita atque ita egerunt nobiscum (ceteri Patriar-
» chae). Nos autem ideo venimus ad te, *ut iudicium*
» *facias nobis : Tu enim es Dominus et Caput eorum*
» *omnium.*» Haec narratio quoque aperte ostendit summum Principatum Rom. Pontificis ligandi et absolvendi universim in Ecclesia Armena a primaevis temporibus recognitum fuisse.

6. Ibidem die 22 Iunii dicitur Apostolus Christi S. Petrus *Petra fidei* et *Caput S. Ecclesiae,* et die 29 eiusdem mensis et 29 Octobris B. Petrus nominatur *Petra fidei, omnium maximus, vicesgerens Christi, Claviger Coeli.* De his testimoniis observare velim quod Ecclesia Armena quasi semper in enumerandis titulis B. Petri et Rom. Pontificis simul cum *Primatu* inseparabiliter etiam eius fidei firmitatem in medium affert, ita, quando appellat eum *Caput Apostolorum,* simul adiungit etiam passim et illud *Petra fidei,* cum reapse Ecclesia Armena utpote ex innumeris quoque aliis documentis quae inferius afferentur, clarum fiet, per eamdem ideam Primatus Romani Pontificis et potestatis divinitus traditae pascendi et gubernandi universam Ecclesiam, inerrantiae quoque praerogativam in fidei et morum negotiis inseparabiliter retinuerit sine ulla umquam dubitatione. Nota etiam in hoc

Menologii loco, B. Petro Christi *Vicesgerentis* nomen hinc a vetustissimis temporibus tribui.

7. Die vero 27 Decembris haec leguntur: «Magnus Pe» trus *fidei Petra*..... *Ecclesiae fundamento* positus...*qui* » a Domino virtutem accepit ut *ipsi portae inferi nequa» quam praevalerent*.... fundamentum Ecclesiae factum » est, claves regni coelorum accepit, *Caput SS. Aposto» lorum constitutus est ut illis SUA DARET MANDATA » VICE IPSIUS CHRISTI.* » His verbis praerogativa primatus S. Petri egregie instituitur, idest ideo Petra fidei fundamentum Ecclesiae fuit, ideo virtutem accepit contra inferi portas, ut *indefectibiliter* possit dare *sua decreta* vice ipsius Christi ipsis apostolis.

8. In festo autem Transfigurationis refert Iacobum apostolum a *Petro electum ac designatum fuisse Episcopum Hierosolymitanum* ipsumque Petrum *Vicarium Christi* appellat. Hoc idem ostendit sensum Ecclesiae Armenae de origine Ecclesiasticae iurisdictionis a Petri sede.

9. Synaxario accedit *Homiliarium* armenice *Giarindir*, quodque nil aliud est nisi vita SS. Patrum, et homiliae selectae Patrum Ecclesiae armenae. Liber iste adhibetur in Ecclesia, et secundum ordinem leguntur capita eiusdem libri, et magni pretii sunt scripta eiusdem operis, et cum sit collectio quaedam ex scriptis Patrum Armeniorum, ostendit universum sensum Ecclesiae Armenae.

Itaque in opere isto in vita S. Cypriani et Iustinae legitur Petrum esse « *fundamentum* et *Canonem Ecclesiae.* » Verbum istud *Canon* singulare apud nos de B. Petro adhibitum valde notandum est, quia sensum magisterii indefectibilis B. Petri denotat, quasi Petrus sit considerandus tamquam tessera fidei in concreto.

10. Ibidem cum S. Athanasii vita describitur et de ap-

pellatione eius ad Iulium Papam sermo instituitur, haec praecise leguntur: « Non licebat iuxta Orthodoxorum de-» creta praeter ipsius (Iulii Papae) *voluntatem* Concilia » convocare. Scripsit etiam Sanctus Iulius ad Regem » Orientis illum certiorem faciens *de erroribus circa fidem* » et de *depositione* Athanasii qui erat orthodoxae fidei » praeco. » Hic duo adstruuntur: 1. quidem Rom. Pontificis esse *errores de fide* et orthodoxiam Christianorum diiudicare, seu quaestiones de fide dirimere; 2. autem non licere sine ipsius auctoritate Concilia convocare, et ad ipsum pertinere sententiam ferre de depositione Episcoporum in universa Ecclesia.

11. In eodem libro in Historia de Inventione S. Crucis Petrus denuo Caput *universi* dicitur, ne dubium possit remanere de plena universalitate Principalitatis eiusdem.

12. In vitis autem SS. Patrum cap. XVI. pag. 350. (Edit. Conspol.) legitur « Romanum Pontificem esse *Do-» minum* et *Caput* aliorum Patriarchatuum. » Videsne quomodo apud nos non solum honoris praecedentia, sed etiam iurisdictionis principalitas ita enuntiatur de Rom. Pontifice, ut idem *Dominus* et *Caput* nuncupetur aliorum Patriarchatuum, qui *servi* et *membra* sint Rom. Pontificis, hic autem eorum Dominus et Caput? Quid autem ius Domini et Capitis indicat, facile est intelligere.

13. Ne autem in longum protrahatur brevis haec disquisitio, aliquid solum in medium afferam de B. Petro eiusque praerogativis ex alio libro liturgico qui apud nos *Dagharan* vel *Canzaran* nominatur, quique continet melodias qui leguntur in Ecclesiasticis officiis, speciatim diebus festis. In hoc libro ergo haec leguntur: « Petre » et Paule christianorum gloria, magna est hodie vestra » festivitas in urbe Roma... Quorum unus tu *Petra an-*

» *gularis* Ecclesiae positus es, *alter super te aedificabat* » *homines;* » quibus verbis illud adstruitur quod Petrus solus sit fundamentum Ecclesiae ; Paulus autem convertens gentes nil aliud faciat nisi *aedificare super Petrum.* Item « Gratia tua coelestis, velut fulgor in animum Si» monis illapsa , aedificabat templum tribus in partibus » totius mundi, in Asia, Lybia, Europa. » Rursus « *Prae-* » *sidens chori* (apostolorum) *caput* gregis electi thronum » tenens tuum, Petrus admirabilis, *Petra fidei.* » Et post duodecim apostolos recensentur « Septuaginta numero (di» scipuli) eorumque quingenti sectatores... *choragus* vero » horum trium generum, *in Sede fidei, Petra impugnabilis* » *a portis inferi, clavis* paradisi.... cruce (a te Christe) » praenuntiata coronatus ad tuam similitudinem , *conse-* » *crator summi viri Fratris tui* (S. Iacobi) in prima Sede » (Hierosolymae).» Item « Caput Ecclesiae, et Petra, *Fun-* » *damentum immobile.* Princeps electae classis , primus » profitens unctum Deum Petrus Apostolus. »

14. Hic autem adnotandum est quod haec omnia liturgica opera in universa Ecclesia Armena in constanti usu inveniuntur, et magna cum diligentia conservantur, et testimonia quae superius afferebam, identidem ab iisdem Schismaticis leguntur, quo palam eruitur in antiquis Ecclesiae temporibus neminem dubitasse de iure Primatus Rom. Pontificis in universam Ecclesiam orientalem aeque ac occidentalem et de indefectibili eiusdem Magisterio , uti *Petra fidei, Canon et fundamentum Ecclesiae;* quapropter non est mirandum si cum tanta simplicitate et claritate verborum et sensuum eamdem veritatem passim in libris liturgicis Ecclesiae Armenae invenimus, quaeque fidem ac publicam professionem eiusdem Ecclesiae constituit.

15. Illud etiam addendum est quod in his publicis et solemnibus testimoniis, uti universalis Ecclesia, ita etiam et nostra Armena nullo modo discrimen inter praerogativas Petri et eius successores admittit, sed quae de illo praedicat, eadem et his tribuit et in eis agnoscit et profitetur, contra errores quos neoterici postea invexerunt, neque differentiam admittat inter Sedem Apostolicam et sedentes super eamdem Sedem, quasi non omnes praerogativae quae de illa praedicantur, his tribui deberent; quinimo utpote ex adductis documentis adstruitur, et ex inferius adducendis magis atque magis ostendetur, Primatus et praerogativae omnes *eidem Personae* Romanorum Pontificum, tamquam Vicariis Christi tribuuntur ac praedicantur passim; et si aliquando, de Sede Apostolica eadem privilegia celebrantur, nonnisi respectu Pontificis in eadem Sedentis, profitentur; ita ut neque imaginari potuerint Patres nostri quod in posterum invehere conati sunt aliqui, inter Apostolicam Sedem et Sedentes discrimen, ad imminuendam si fieri posset, vim ac virtutem Primatus et privilegiorum Romanorum Pontificum.

XIII.

1. Post ea quae breviter de libris liturgicis Ecclesiae Armenae dicta sunt, opportunum est sedulo adnotare quae in Nomocanone eiusdem Ecclesiae inveniuntur de eodem subiecto; etenim quod traditur in Nomocanone gravissimam auctoritatem adstruit, cum ius Ecclesiasticum Armeniae exhibeat. Liber iste nil aliud est quam collectio veterum canonum cum aliquo additamento et aliis canonibus qui a Patribus et Conciliis Ecclesiae Armeniae con-

diti, in corpus Iuris Ecclesiastici inserti inveniuntur. Codicis istius vetus exemplar invenitur etiam in Museo Borgiano Collegii Urbani de Propaganda fide. Ibi sub titulo canonum Synodi Nicaenae leguntur etiam canones Concilii Sardicensis, quique ita in honore habiti semper fuerunt apud Armenos et tanta cum diligentia conservabantur, ut fama eorumdem ubique divulgata erat; hinc et Summus Pontifex Gregorius X. scribendo anno 1273 (1) et ad oecumenicam Synodum Lugdunensem Patriarcham Armeniae invitando, illi commendabat ut integra acta Nicaenae Synodi, quae Armeno idiomate scripta habebat, una cum peritissimis Interpretibus sibi mitteret.

2. Itaque in hoc libro praeter Sardicensis Concilii de Primatu Rom. Pontificis canones, hoc quoque legitur nimirum can. 39. « Quamvis Archiepiscopus sit inter Epi- » scopos frater maior, qui curam habet fratrum suorum, » et ei debent obedientiam, quia praeest, est tamen » Patriarcha iis omnibus qui sub potestate eius sunt, » sicut ille, qui tenet *Sedem Romae, Caput et Princeps* » *est omnium Patriarcharum;* quandoquidem ipse est *pri-* » *mus* seu *Dux* sicut Petrus, cui data est potestas in » omnes *Principes Christianos et omnes populos et univer-* » *sam Ecclesiam;* et *quicumque contradixerit eidem, a* » *Synodo excommunicatur.* » Canone isto in corpore iuris Ecclesiastici Ecclesiae Armenae inserto, palam conficitur quam alte defixus fuerit in Armena Ecclesia a suis incunabulis sensus de vi et universalitate Primatus Episcoporum Sedis Romae, et quali et quanta reverentia, obsequio et obedientia prosequerentur eamdem Patres nostri, illum sibi *Ducem, Caput* et Dominum agnoscentes, eique

(1) Greg. X. lib. 2. Ep. 2.

eadem nomina ac titulos, qui in Ecclesia Armena Christo Iesu tribui solent, passim tribuentes. Ne autem aliquid suspicionis possit remanere de vi, virtute ac universalitate Primatus Rom. Pontificis respectu etiam aliorum Orientis Patriarchatuum, expressa eorum mentio in eodem canone fit, ut ostendatur, auctoritatem supremam eiusdem Sedis super omnes quoque Patriarchatus plenissime extendi, ne locus ullus argutiis possit subsistere.

3. In Nomocanone autem cuius auctor Mechitar Koscius Canzacenus Doctor saeculo XII. labente, XIII. ineunte, adiuvantibus illum aliis Doctoribus armenis Iurisperitis, cap. 225. enumerata coelesti Hierarchia Angelorum ad novem ordines composita ac collata cum Ecclesiastica Hierarchia, quum octavum ordinem Patriarchis Ecclesiae adsignat, de nono et supremo ordine ita loquitur: «*Chorus* » *omnium supremus Papius* (Papa) Cherubim habens simi- » litudinem, cuius est Regum ordines instituere. » Ab ista classificatione palam eruitur in corpore iuris Ecclesiae Armenae veram ac genuinam ideam Primatus Rom. Pontificis traditam ac conservatam fuisse.

XIV.

Nunc aliquid ex Conciliis in Ecclesia Armena coactis in medium afferre liceat ad eiusdem Ecclesiae professionem de Rom. Pontificis Primatu et de eiusdem Praerogativis exhibendam.

1. In primis autem illud est memorandum quod S. Gregorius Illuminator Armeniae Apostolus Catholicam fidem in Ecclesia Caesareensi edoctus erat: in hac autem Ecclesia doctrina de principalitate Sedis Petri et Summo Magisterio

ingenua conservata erat; quam et noster Apostolus et sui coepiscopi profitebantur; hinc est quod cum haeresis Ariana Orientem universum et praesertim Exarchatum Cappadociae devastaret, S. Basilius Magnus ea devotione, qua Ecclesia sua Petri Sedem prosequebatur, Synodum provincialem convocavit et ad S. Damasum Papam litteras Conciliares misit ut illustrem illam Ecclesiam ab haeresi afflictam visitaret sanctamque doctrinam in eadem instauraret. His litteris et Nierses Armeniae Catholicon, una cum alio Armenio Episcopo, ut videtur ex subscriptionibus, cum omni devotione subscripserat; cum huiusce praeclarae epistolae principalis pars postea afferenda sit, eamdem hic producere non erit opus.

2. Anno vero 450 cum Persarum Rex Christianam fidem ex Armenia profligare conaretur, Iosephus Catholicon seu Patriarcha magna coacta Synodo ad Imperatorem Theodosium litteras mittebat quibus subsidium illius synodaliter flagitabat contra molimina eiusdem Regis Persarum, qui ut dicitur in illis litteris Synodalibus, destruere conabatur « *Fidem a Sancto* qui Romae est Episcoporum Prin» cipe *receptam, qua illuminata fuit tenebrosa regio no» stra Septemtrionalis* » (1): ex quo eruitur quod etsi S. Gregorius Illuminator in Ecclesia Caesareensi fidem Catholicam edoctus esset, tamen illuminatio Armeniae a Sancta Romana Ecclesia repetebatur.

3. Postea vero illud occurrit quod cum Episcopi Ecclesiae Armenae convenissent in Concilium Constantinopolitanum II. oecumenicum V. coactum anno Domini 553, solemniter Concilium Chalcedonense et litteras Dogmaticas

(1) Elisaei Historici V. sac. pag. 123. edit. Venet. an. 1852.

S. Leonis Papae tamquam irrefragabile Ecclesiae iudicium receperunt et venerati sunt, ita ut in memoriam huius faustissimi facti una ex ianuis Basilicae Sanctae Sophiae in qua convocata erat Synodus, Porta Armenorum (Πύλη τῶν Αρμενίων) dicta fuerit ut enarrat Photius, et anonymus Scriptor apud Combefis (1). In hac ipsa Synodo Sessione V. lecta fuit in testimonium orthodoxae veritatis epistola Synodalis scripta ad Proclum Patriarcham Constantinopoleos ab Isaaco Catholicon Armeniae, qui in Synodo Ascidisciadensi anno 526. habita errores Theodoreti Mopsuesteni condemnaverat.

4. Cum vero postea aliqui Pseudo–Patriarchae et Pseudo–Magistri easdem S. Leonis litteras denuo impugnassent, anno 622. coactum fuit plenarium armeniae Ecclesiae Carnense Concilium sub Catholicon Esdra, in quo solemniter Epistola illa *Dogmatica tamquam tessera fidei per acclamationes* fuit denuo recepta et anathematizatus Ioannes Mayracomensis acerrimus persequutor nominis illius Sancti Pontificis. De isto celeberrimo Concilio loquitur Photius in suis litteris ad Patriarcham Armeniae Zachariam, – Nierses Lampronensis in sua epistola ad Ascanium Eremitam (2), et Mekitar Patriarcha in Synodo Sisensi an. 1342. prout legitur in actis huius Synodi (Labb. Collectio Conciliorum Tom. XXV. edit. ven. pag. 1222).

5. Anno vero 862. Zacharias Patriarcha Armeniae Synodum convocavit in Sciraghavan cum magno numero Episcoporum et Doctorum, in qua denuo Synodum Chalcedonensem cum Dogmaticis S. Leonis litteris receperunt et professi sunt, utpote enarratur apud Photium.

(1) Labb. Collec. Concil. IX. edit. Ven. pag. 157-400.
(2) Opera Niersis Lamp. Edit. Ven.

6. Cum vero Petrum Kedatarz Armeniae Catholicon praeclarum Sancti Leonis propugnatorem Viri Schismatici persequerentur, anno Domini 1036. magna Synodus coacta fuit in Civitate Ani (1), ubi omnes Armeniae Episcopi et Doctores, Monachi et Magnates nationis numero circiter quatuor millium convenerunt et Praeses fuit huius Synodi Iosephus Albaniae Catholicon, et in hac plenaria Synodo Memoriam *Sancti Leonis Papae renovantes et ipsum Pontificem per quem Petrus loquutus* erat, ea qua par erat reverentia animique devotione venerantes; eiusque litteras Dogmaticas devotissime recipientes, a Throno reiiciebant Dioscorum Catholicon Sancti Leonis Papae blasphematorem, lacerando in signum odii et condemnationis velum Patriarchale Dioscori, quo Armeniae Catholici utebantur, et Petrum *Kedatarz* Sanctae Romanae Sedis devotissimum virum in Sede Patriarchali restituebant (2).

7. In Concilio Tarsensi an. 1177. habito sub Patriarcha Gregorio, cum ab Ecclesia Patriarchali Constantinopoleos propositum fuisset ut azymum relinquentes fermentato uterentur more Graecorum, Patres Synodi cap. 6. respuentes hanc propositionem ita Graecos alloquuntur: « Circa hunc articulum quod sane *iustum* est reveren- » tiae Vestrae suademus, ut nimirum cum *Apostolica Pe-* » *tri Sede* et cum nostra adhuc humilitate concordes » efficiamini atque ita *submissi* legem charitatis instau- » retis. »

In sequenti capite autem Patres eiusdem Concilii apertis verbis denuo proponunt Graecis ut «Sacrosanctum Sacrificium azymo pane ab ipsis perficiatur iuxta *veram*

(1) Erat Ani civitas praeclara Regni Armeniae.

(2) Cyriacus et Vartan historici Armeni XIII. saec. Idem narratur etiam ab historico Matthaeo Edessensi XII. saec.

Magnae Romanorum Ecclesiae legem» (1). Ex hoc patet Patres armenos Concilii Tarsensis apostolicae *Sedis principalitatem* profitentes iustum existimasse, ut Ecclesia Patriarchalis Constantinopoleos quoque usum ac legem liturgicam eiusdem Sedis sequeretur.

8. Ad annum vero 1250. scriptor armenus Vartan valde aestimatus apud Armenos etiam schismaticos in sua historia haec scribit: « In hoc anno *mota* est quaestio *a* » *Magno Papa* Romae (Innocentio IV.) qui scripsit *ad* » *omnes gentes Christianorum* quod debent Spiritum Deum » confiteri quod procedat *a Patre et a Filio.* » Et postea narrat quod Patriarcha armenus Constantinus cum accepisset hoc mandatum Papae, concilium convocavit in civitate Sis ubi Patres Armeni magno numero coacti professi sunt eamdem veritatem, et multa ex propriis scriptis testimonia quae eamdem rem confirmabant, in medium tulerunt. Ex quo colligitur 1. *quaestiones dogmaticas a Rom. Pontifice dirimendas et proponendas credidisse Patres Ecclesiae Armenae:* 2. ad mandatum Papae *illico Concilium plenarium eos convocasse et Decretum* Romani Pontificis *uti Dogmaticum admisisse:* 3. tandem eruitur ex relatione praememorati historici Vartan et alterius historici Cyriaci Kanzaghensis qui haec enarrant, tam in Armenia Minori, quam in Maiori in eo tempore dogma processionis S. Spiritus *et a Filio,* universim admissum fuisse, quare et tempore Concilii Florentini Patres nostri nullam de hac re difficultatem adduxerunt. Patres autem alterius Concilii Sisensis habiti anno 1342 sub Mekitar Catholicon commemorant acta praedictae Synodi et edictum Rom. Pontificis de processione S. Spiritus a Patre et Filio a

(1) Haec omnia leguntur in libro Conciliorum Armenorum, et in litteris Narsetis et Gregorii Patriarcharum Armeniae eiusdem aevi.

Patribus Synodi illius reverenter admissum esse testantur (1), quo etiam et ipsi eandem reverentiam ac submissionem profitentur iudiciis dogmaticis Rom. Pontificis, uti videbimus postea cum sermo erit de Synodo illa.

9. In secundo Concilio Sisensi vero habito anno 1307 sub Patriarcha Gregorio in quo circiter quadraginta Archiepiscopi et Episcopi et septem Patres Monasteriorum interfuerunt, celeberrimum illud decretum conditum fuit, cuius hic est tenor verborum: « Praeterea Magnus Episcopus Mediolanensis Sanctus Ambrosius in suis scriptis commendatum reliquit, debere quemlibet *Sanctae et Apostolicae Ecclesiae Romanae praestare obedientiam,* quippe quae ab Apostolo Petro *in Orthodoxa fide firmata fuit.* Nam sicut *corporis est capiti* obedire, ita debet similiter *Universalis Ecclesia* (*quae corpus est* Christi) *obtemperare ei qui totius Ecclesiae Caput* a Christo Domino constitutus est. » In hoc textu Patres Concilii veram illam adstruunt doctrinam, qua subiectio universalis Ecclesiae dispersae vel congregatae debet praestari Rom. Pontifici, ac refellunt errorem sequiori aevo a nonnullis invectum de subiectione Romani Pontificis oecumenicae Synodo. Decretum Sisense contrariam catholicam doctrinam asserendo reiecit gravissimum illum errorem: ubi adnotandum est in hac Synodo, in qua uti dictum fuit, praeter Patriarcham fere omnes Archiepiscopi, Episcopi, Doctores atque Abbates Ordinum Monasteriorum Armeniae interfuerunt, nulla intercedente difficultate aut obiectione decretum istud conditum ac assertum fuisse.

10. Nunc oportet de alio Plenario Concilio idest de Concilio Adanensi loqui, quod celebratum fuit anno

(1) Mansi Suppl. Conc. tom. III. Edit. Luc. pag. 448. et sequen.

Domini 1316 sub Patriarcha Constantino et Rege Armenorum Oscino. Patres in eodem congregati ab universa Armenia praecipuas sui muneris partes esse duxerunt *praedictum Decretum Concilii Sisensis de Primatu Rom. Pontificis* ante omnia innovare et pressius inculcare. Postea vero dum de Disciplina Ecclesiastica sermo fieret ac varia de festis instauranda essent, speciatim vero de festis Nativitatis atque Epiphaniae separatim celebrandis, Patres Concilii Definitionem istius Capitis Disciplinaris adstruentes, illam repetunt ab auctoritate et exemplo *Almae,* ut dicunt, *Urbis Romae,* haec adiicientes: « Satis compertum haberi Sanctam Romanam Ecclesiam » ab antiquis temporibus per traditionem a Divo usque » Petro Apostolorum Principe derivatam semper consue- » visse festum Nativitatis 25 Decembris et Epiphaniae » seu Baptismi 6 Ianuarii celebrare. Et quamvis nonnul- » lae Asiaticae regionis Ecclesiae praesertim Hierosoly- » mitana utramque festivitatem una eademque 6 Ianuarii » die antea peregissent, postea tamen... ab illo se re- » traxerunt, easque divisim *iuxta ritum Ecclesiae Roma-* » *nae* celebrare coeperunt.... Postquam Dominicae tem- » pus Nativitatis cunctis isto examine innotuerat, *dire-* » *ctum fuit hac de re universale Decretum ex alma urbe* » *Roma* in Ecclesiam Constantinopolitanam ed ad Ioan- » nem Patriarcham Hierosolymitanum et ad Flavianum » Antiochiae Patriarcham, *omnesque Ecclesiae Romanae* » *adhaeserunt.* » In iisdem actis Patres Concilii loquentes de aqua vino in sacrificio Missae admiscenda auctoritatem Alexandri Papae adducunt et dicunt: « Haec quidem » Magnus et Gloriosus Christi Martyr S. Alexander *prae-* » *cepit, qui omnes Ecclesiae constitutiones et canones per-* » *fecte ab ipso Beato Petro acceperat.* » Decreto autem

huic Patres Concilii Adanensis ita finem imponunt: « Eos » autem qui vel huic nostro, vel *praecedentis Concilii* » *Sisensis Decreto* quomodolibet adversantur, sive regula- » res illi sint sive seculares, per Divinum Spiritus Sancti » mandatum *a Catholica et Apostolica Romana Ecclesia* » *separamus atque reiicimus,* quin et a nostro Sancto Grege » repellimus.... » His verbis Patres Concilii Armeni palam ostendunt traditionem suae Ecclesiae talem fuisse, ut non solum in fidei Dogmatibus, verum etiam in Canonica et Liturgica Disciplina regenda, auctoritas summa in Romanis Pontificibus resideat, ipsique ius habeant edicendi Decreta per universum orbem et qui contra illud agere ausi fuerint, Patres Armenii Concilii eos ab Ecclesia reiiciendos putant et unanimiter decernunt: quo fit ut ius dirimendi quaestiones non solum ad Dogmata sed et ad Disciplinam pertinentes soli Romano Pontifici agnoverint, ita ut qui ei nolit obtemperare, schismaticus atque haereticus censeatur, quod idem est ac Decretis Rom. Pontificis plenam auctoritatem et inerrantiam agnoscere.

11. Quartum Concilium Plenarium in quo iura ac privilegia Primatus Rom. Pontificis agnita, professa ac declarata fuerunt, est alterum Concilium Sisense habitum a Domino Patriarcha Mechitar anno 1342. Praenotandum est vero hoc Concilium convocatum fuisse iussu Summi Pontificis Benedicti XII, qui cum per Apostolicam sollicitudinem cuius exercendae ius habet super omnes Ecclesias, imo super omnes fideles universos (ut edocebat Innocentius III. Regem Armeniae Leonem in Epistola sua anno 1199. VII. Kalend. Decembris) voluisset expurgare Ecclesiam Armenam ab omni labe errorum, atque Ecclesiasticam Disciplinam sive Canonicam sive Liturgicam

*

instaurare cuperet, litteras ad eundem Patriarcham miserat et 117 capitibus interrogationum Patriarcham ipsum de illis admonebat ac responsa requirebat, volebatque ut synodo coacta, errores omnes si qui fuissent, condemnare, et corrigere curaret. Dominus Patriarcha tamquam docilis filius, Supremi Pastoris mandato obtemperans Concilium in Patriarchali Ecclesia Sisensi illico convocavit, et omni submissione ac humilitate uti par erat, edictum Summi Pontificis exequi curavit. In his actibus et illud legitur quod cum SSm̃us Dominus Papa interrogasset Armeniae Patriarcham de professione Ecclesiae suae super Primatum Rom. Pontificis, ita Synodus Armena in art. 84. respondet Domino Papae: « In Nicaena Sancta Synodo Sancti Patres congregati, quorum determinationes et canones valde acceptabiles sunt apud nos, sententiam deducunt *Romanam Ecclesiam Caput esse omnium aliarum Ecclesiarum, cuius Caput est Papa.* Ideo et *Catholicon Armenorum et alii Patriarchae sub potestate eius sunt* » (1), et in art. 91. denuo ita Synodus mentem suam de hac re aperit: « Nos bene habemus hoc in scriptis, quod in prima et secunda Synodo Nicaeni Patres sententiam dederunt, quod Ecclesia Romana caput esset aliarum Ecclesiarum. Similiter et Pontifex Romanus excellentior quam alii Pontifices. Igitur nos sic dicimus et habemus non solum quia in S. Synodo determinatum fuit, sed quia Christus oves suas Petro recommendavit pascere. » Ex his duobus Capitibus eruitur Concilium Sisense apertis verbis iura Primatus Rom. Pontificis profiteri non quia in canonibus Ecclesiae hoc decretum invenitur, sed quia ius illud Rom. Pontificem a Deo ipso obtinuisse profiteretur.

(1) Mansi tom. XXV. pag. 1222.

Iidem Patres Synodi Sisensis ubi 30 Episcopi, 5 Doctores et decem Abbates interfuerunt, referentes historiam Definitionis, qua dogma de Spiritus Sancti processione *et a Filio* declaratum fuit, ut ostendant definitionem istam a Rom. Pontifice editam fuisse, ita rem enarrant (1): «Item » sciendum est quod quando processio S. Spiritus *deter-* » *minata fuit* a Filio sicut a Patre *per Ecclesiam Roma-* » *nam,* quamvis Graeci contrarii fuerint, tamen Magistri » Armenorum cum Synodo receperunt, sicut invenitur apud » nos in historiis, quae sunt in Maiori Armenia; sed no- » men Papae qui misit, manifeste non habemus, et in » Minori Armenia tempore Regis Magni Hecon (Hetum) » et Catholici Domini Constantini Gregorius (IX) Papa » misit *Legatum* et *mandavit* per epistolam *dicere* et *con-* » *fiteri* Spiritum Sanctum procedere a Patre sicut a Filio, » et *ipsi cum Concilio receperunt et confirmaverunt.* » Quo evincitur Patres Ecclesiae Armenae firmiter tenuisse fidei quaestiones a Rom. Pontifice esse penitus dirimendas, et ab eodem Pontifice mandandum quid credere et profiteri deberent.

12. Anno vero 1439 cum oecumenicum Concilium Florentiae convocatum fuisset et Summus Pontifex Eugenius IV ad illud etiam Patriarcham Ecclesiae Armenae vocavisset, nuntii huius Patriarchae cum testimonialibus steterunt in Concilio et post examen totius rei subscripserunt Decreto unionis, in quo iura Primatus Rom. Pontificis plene declarata sunt. Originale hoc scriptum in lingua armena extat adhuc in Bibliotheca Laurentiana Florentiae in memoriam non perituram rerum. Sic autem nuntii Patriarchae Constantini declarabant in eorum sub-

(1) Martene Verter. Script. tom. VII. pag. 315. art. I.

scriptionibus: « Nos nuntii nomine nostro et nostri Rm̃i » Patriarchae et omnium Armenorum utpote et Sanctitas » Vestra testatur in suo Decreto, *cum omni devotione et » obedientia accipimus et amplectimur hoc salutare Decre- » tum Synodale cum omnibus suis capitibus, declarationibus, » definitionibus, traditionibus, praeceptis et constitutionibus » et omnem Doctrinam, quae in eodem traditur, et quidquid » credit et docet Sancta et Apostolica Sedes et Ecclesia Ro- » mana* » (1). Notum est autem in actu unionis contineri praeclarum illud Decretum sequenti tenore: « Definimus » Romanum Pontificem in universum orbem tenere Pri- » matum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse » Beati Petri Apostolorum Principis et verum Christi Vi- » carium, totiusque Ecclesiae Caput et *omnium Christia- » norum Patrem ac Doctorem existere* et *ipsi in Beato Pe- » tro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam » a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam » esse:* quemadmodam etiam in gestis oecumenicorum Con- » ciliorum et in sacris canonibus continetur » (2). Prae-

(1) Harat. Iustini Hist. Concil. Flor. pag. 372 - 3.

(2) Horat. Iustin. Concil. Flor. 362. Iuvat autem hic adnotare quod supradictum Decretum Florentinum de Primatu Rom. Pontificis in eodem Concilio in armenam linguam translatum fuit, et una cum textu Latino publice lectum et in Actum Unionis quae in eadem Synodo absoluta est, insertum fuit. In hac Armena translatione, quae uti supra diximus extat in originali in Bibliotheca Laurentiana, ultima verba, de quorum genuino sensua liqui disceptant, praecise sic se habent «*prout in ipsis etiam* (armen. *մինչեւս mincevs*. italice diceretur *perfino*) in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacro canone »*positum est.*» Quod idem est ac si diceretur «iura quae Rom. Pontifici » competere declaramus, non nova sunt, sed in ipsis gestis quoque oecu- » menicorum Conciliorum *posita* » idest *declarata, tradita* sunt; ita ut per ultima illa verba quin restrictionis et limitationis sensus eruatur, amplificationis et maioris confirmationis argumentum haberi clarum sit. Cum vero haec translatio in Armenam linguam in eadem ipsa

ter hoc omnibus notum est Dominum Papam Eugenium IV Instructionem quoque pro Armenis dedisse de administratione sacramentorum et de quibusdam aliis ad Disciplinam Liturgicam pertinentibus. Quod Decretum atque Instructionem Patriarcham Constantinum magna cum veneratione recepisse compertum est.

13. Extat autem (Mansi Supl. Tom. 1. pag. 209. 210. Edit. Luc.) aliud Documentum quod ostendit luculenter quae fuerit fides Oratorum Armenorum de Rom. Pontificis Primatu: cum enim ipsi pervenissent in Concilium, ita alloquebantur Summum Pontificem: «*Christi Sedem tenes, Christi* » *Vicarius es* in Sede Apostolorum. Venimus ad Caput no- » strum, venimus ad Pastorem. *Tu es fundamentum Ec-* » *clesiae; quod membrum elongavit, se a te elongavit, et* » *gregem qui se a te separavit, fera pessima laceravit: Ec-* » *clesia quae te non fuit secuta vel substenta, (sic) funditus* » *fuit eversa. Caput condole membris, Pastor collige gregem,* » *fundamentum confirma Ecclesiam.* Tu qui habes pote- » statem clavium coelestium, aperi nobis portam vitae » aeternae. *Cum auctoritate Patriarchae nostri et Episco-* » *porum omnium gentis nostrae venimus ad Sanctitatem* » *Tuam....* Nostrum *Simbolum et fidem, si est defectus,* » *doce.* » Revera autem idem Summus Pontifex Eugenius IV. in Bulla Sua « Moyses vir » anno 1439. pridie nonas Septembris sic de hac re testatur: « (Deus) Arme- » norum Oratores ex longissimis Orientis partibus ad » nos et Sanctam Apostolicam Sedem et Sacrum hoc » Concilium his in diebus cum pleno mandato pervenire » concessit, qui nos non aliter *quam Beatum Petrum*

Synodo peracta fuerit opera quoque Legatorum Armeniorum, consequitur inde, in eadem translatione traditum fuisse verum et genuinum sensum qui ab eodem ipso Concilio intellectus fuerat.

» *Apostolorum Principem intuentes ac venerantes ipsam-*
» *que Sanctam Sedem veluti matrem omnium fidelium et*
» *magistram recognoscentes* ad eum et ad praefatum Con-
» cilium pro spirituali cibo et sanae doctrinae veritate se
» venisse professi sunt. »

14. Ex omnibus istis documentis patet aperte, tunc temporis Patriarcham et Episcopos universae Armeniae intactam conservasse veram ac genuinam doctrinam de vi et iuribus Primatus Rom. Pontificis et ipsam non fuisse corruptam nec a Graecorum Photianorum cavillationibus, nec a Basileensis conventus neotericis doctrinis, sed puram tenuisse eam, sicut ab incunabilis suis tenuerat Ecclesia universalis, ita ut in Romano Pontifice agnoscerent talem tantumque Doctorem, ut decreta eiusdem uti vera oracula Dei tenerent ac crederent, neque aliter quam B. Petrum Eugenium IV. venerarentur, obsecrantes eum ut *tamquam fundamentum confirmaret Ecclesiam.* Quod vero post tot tantasque Caerularii et Photii schismaticas cavillationes contra Rom. Pontificis Primatum, Ecclesia Armena potuerit hanc de Rom. Pontificis Primatu doctrinam immaculatam tenere, sane valde mirum est; sed hoc ipso praeclarum primitivae Ecclesiae Orientalis de eadem vera ac genuina doctrina exhibet argumentum.

15. Post actum unionis Florentini Concilii dira tempora non permiserunt ut Patres Ecclesiae Armenae in unum convenire possent ; sed ut postea videbimus , catholici eiusdem Ecclesiae Patriarchae et Episcopi non destiterunt eosdem sensus obedientiae eandemque doctrinam de Rom. Pontifice praedicare in suis scriptis et epistolis. Cum autem Deo favente et auspiciis eiusdem S. Sedis Ecclesia Armena a variis dirisque persecutionibus immunis evasit et perillustris Othomanici Imperii insigni

favore permultis privilegiis et plenissima cultus libertate donata fuit, Archiepiscopus Armenus Primas Constantinopoleos (nunc Antonius Petrus IX. Patriarcha Ciliciae) cum suis suffraganeis provinciae Primatialis episcopales Collationes habuit in Urbe Constantinopolitana anno 1851 die 12 Aprilis; quibus ab ipso initio, hoc veluti fundamentum iaciebatur, videlicet. « Quum per » hoc salutare opus (Collationes Episcopales) aggredi» mur, si fieri poterit, iterum aedificare iuxta primam » suam gloriam dirutum ac deletum templum armenia» cae Ecclesiae, undenam licebit initium operis duce» re, vel ubinam aedificii nostri fundamentum iacere, » nisi ibidem super ipsam petram angularem super quam » extabat firmata tota prima gloria ac decus veteris il» lius templi nostri, et cum longe ab eadem profecti » fuerimus, hinc totius aedificii ruina ac destructio se» quuta est, idest ab unione et obedientia Sanctae et » Apostolicae Sedis almae Urbis Romae et ab eius *im» maculata* et *infallibili* Doctrina? Quia Ecclesia Romana » Caput et Mater omnium Ecclesiarum *illuminat Doctrina » sua universum Orbem*, et nos Catholici gaudemus et » laetamur quod radiis eiusdem qui *non possunt obumbrari* » illuminati simus. Caput enim Apostolorum Petrus Ro» mae constituit Sedem suam, et ipsi datum fuit a Do» mino nostro et in eius persona successoribus eius in » Sede, non solum facultas pascendi agnos et oves, cum » sit constitutus Pastor, et Pastorum Caput super coetus » fidelium, et super eorundem pastores, sed et simul » *infallibilis rectitudo in fidei professione, inerrabilis scien» tia* salutarium pabulorum et *indeceptibilis selectio inter » rectum et non rectum, inter salutare et nocivum*, ad » salutem animarum. Quapropter et nos non solum pro-

» mittimus debitam obedientiam Supremae Ecclesiae Ro-
» manae et eius Pastoribus Summis Pontificibus, sed et
» recipimus cum *omni promptitudine* omnem eius Do-
» ctrinam et ea omnia quae ipsi nos edocent, *a Deo edi-*
» *dicisse.* Hinc et implorantes annos permultos SS̃mo
» Domino Nostro Pio Papae IX. feliciter Regnanti reco-
» gnoscimus in Ipso omnes *auctoritates* et *qualitates Apo-*
» *stoli* Petri et Successorum eius, et hanc ipsam nostram
» professionem *erigimus* et *firmamus tamquam fundamen-*
» *tum* et *petram angularem* uniuscuiusque *regulae* vel
» *canonis* et *confirmationis nostrarum Collationum,* in quas
» convenimus, et ideo *totius operis nostri,* quod aggressi
» sumus » (1).

Profecto quisque videt quam perspicue quantaque verborum abundantia, et sensuum praecisione de Primatus Rom. Pontificis et de praerogativa *indefectibilitatis* eiusdem catholica doctrina declarata et recognita est, ita ut nulli possit dubio locus adhuc superesse. Patres autem in praedictis Collationibus convenientes nil aliud in hac re adstruebant, nisi avitam doctrinam de Primatu et de inseparabili ab eodem indefectibili fide Episcoporum Romanae Sedis, et notandum quod iidem Patres in hoc fundamentali prooemio ad indicandum hoc privilegium Pontificale, quatuor epitheta adhibent idest *Ansàitak, Ansdver, Anchodoreli , Ansichal* quae omnia *infallibile , inadumbrabile , impervertibile* et *indeceptibile* vel *inerrabile* significant ac graece ἀπλανὴς, ἄπταιστος, ἀδιάπτωτος vocibus consonant.

Non posset certe quis maiori claritate nec fortiori vi exprimere praerogativam Pontificalem de indefectibilitate eiusdem fidei, et quo clariora ac vehementiora sunt verba,

(1) Archiv. Eccl. primat. Constantinopolitanae ad an. 1851.

eo magis Ecclesiae Armenae de hoc Rom. Pontificis privilegio profundam fuisse persuasionem ostendunt.

15. Anno autem 1853 fel. rec. Patriarcha Ciliciae Gregorius Petrus VIII Coepiscopos suos comprovinciales in Synodum convocabat in residentia Patriarchali in Bzommar in Libani Monte: qui in actis huius Synodi parag. 114. haec diserte profitebantur: « Item honoramus ac reveremur » Reverendissimum nostrum Patriarcham et obedimus illi » *ea conditione* ut et ipse colat orthodoxam fidem, et *hono-* » *rans revereatur* Summum Pontificem Romanum, Vica- » rium Christi Domini Nostri in terra sicut *suum Patrem,* » *Dominum* et *Doctorem* et *obediat mandatis eius...* et nul- » lum *arduum* et *grave* opus *aggrediatur sine voluntate* » *Pontificis Romae* » et in parag. 121. dicitur : « Debet » *ipse Patriarcha* in omnibus decem annis visitare sacra » limina Apostolorum... et *reddere rationem summo Rom.* » *Pontifici de omni suo Patriarchali officio et de aliis quo-* » *modolibet ad statum Ecclesiae suae pertinentibus sive de* » *conditione Cleri et populi, sive de salute animarum cu-* » *rae eius creditarum* » (1).

Ex his quae praecedunt facile est colligere quomodo Patres in Bzommariensi Synodo convenientes agnoscerent iura Primatus Rom. Pontificis, ita ut Patriarchae imponatur recognoscere ipsum non solum tamquam Patrem ac Doctorem , sed et *suum Dominum* seu *Principem,* quo ostendatur vis iurisdictionis Primatialis super universos quoque Patriarchas.

16. In Collationibus autem Episcopalibus habitis Romae an. 1867 a die 3 Mensis Iulii ad diem 19 eiusdem mensis ab Episcopis Patriarchatus Armeni sub praesidentia Patriarchae Ciliciae Antonii Petri IX. Parte I. cap. I.

(1) Tabulor. Patriarch. Armen. in Libano.

art. 2. iidem Patres repetentes definitionem dogmaticam Oecumenici Concilii Florentini declararunt: « quod in » persona Rom. Pontificis agnoscunt Vicarium I. C. et Ca- » put totius Ecclesiae, *Patrem et Doctorem omnium Chri-* » *stianorum,* cui datum est a Domino nostro I. C. *plena* » *potestas pascendi*, *regendi* et *gubernandi universalem* » *Ecclesiam* » cap. vero II. art. 4. Patres in iisdem Collationibus congregati ordinabant ut: « Praedicatores in » praedicationibus *specialiter iura Primatus Rom. Ponti-* » *ficis propugnarent.* » Parte autem II. cap. VI. art. 5. statuitur: « Patriarcham *nil arduum* perficere debere *incon-* » *sulta S. Sede.* » In iisdem Collationibus cap. III. partis III. art. 6. iidem Episcopi *submittentes acta Collationum iudicio S. Sedis* eam nominant « *Columnam et firmamentum veri-* » *tatis, matrem et magistram omnium Ecclesiarum* » (1).

Quae ex Conciliis et Collationibus in Ecclesia Armena habitis breviter superius attulimus, iurisdictionem Romani Pontificis plenam et universalem eamque per totam Ecclesiam Orientalem et Occidentalem non solum in rebus ad fidem et mores, sed ad disciplinam canonicam et liturgicam pertinentibus plenissime extendi luce clarius evincunt.

His ex Conciliis praecipuis Ecclesiae Armenae exhibitis, nunc testimonia Patrum eiusdem Ecclesiae exponenda aggrediamur.

XV.

1. Imprimis autem celebre illud Documentum sese praebet, quod *Epistola foederis* nominatur, et apud Armenos *Tascianz kir,* hoc est Epistola concordiae initae inter Sanctum Sylvestrum Papam et Sanctum Gregorium Illumi-

(1) Tabul. Patriarcal. Armen. Constantinopolit.

natorem Apostolum Armeniae initio IV. saeculi. Quidquid sit de authenticitate vel de interpolatione huius scripti, cuius exemplar extat in Bibliotheca Vat. Mss. Arm. Cod. II. transmissum ab Azaria Patriarcha Ciliciae ad Romanum Pontificem Gregorium XIII, ac desumptum uti idem Patriarcha testatur, ex vetustissimo exemplari in eadem Ecclesia Patriarchali conservato, verum est attamen quod celebre illud scriptum, tamquam sacerrimum Oraculum ab Armenis usque nunc retentum, est ineluctabile argumentum traditionis eiusdem Ecclesiae de Primatu Rom. Pontificis. Documentum istud in medium affertur hinc a V. saeculo cum magna laude, et reverentia et illo utuntur Patres nostri etiam in synodis ad compescendam exigentiam Graecorum qui subiugare volebant armenam Hierarchiam, suosque usus et canones imponere illi; ad illud foedus appellabant Patriarchae quando in iurisdictione eorum aliquid gravaminis experiebantur, illo tamquam validissimis armis utebantur iidem Patres contra eos qui repudiarent Primatum Rom. Sedis. Ita Nierses Glaiensis Patriarcha Armeniae saec. XII. arguit monachos quosdam male de S. Sede sentientes dicendo: «Nonne verum est » quod sanctus noster Illuminator Gregorius *ivit Romam* et » *a S. Sylvestro Papa, Armeniae Patriarcha fuit ordinatus?*» illud etiam semper in medium afferebant iidem Patriarchae scribentes ad Summos Pontifices Romanos, rogando ut vellent confirmare quae S. Sylvester concesserat per illud foedus S. Gregorio Illuminatori, ita ut nemo alius ex Orientalibus in Ecclesiam Armenam iurisdictionem exercere valeret, nisi Rom. Pontifex per se vel per suos Nuntios. Non semel etiam Rom. Pontifices in suis litteris ad Armeniae Patriarchas datis meminerunt foederis illius, ita ut nil melius traditionem Ecclesiae Armenae eamque com-

munem et universalem exhibere valeat, quam hoc ipsum scriptum. Hoc Pontificio rescripto adeo confidebant Armeni, ut etiam ad defendendos aliquos suos errores ad illud appellare solerent. Ita Episcopi Armenae gentis Isaias et Iohannes anno 1433 die 30 Septembris scribentes nomine Armeniae Patriarchae Patribus Basileensis Concilii qui gentem illam ad unionem invitaverant, haec dicunt in suis litteris: «(Martene Veter. Scrip. coll. Tom. 8. » pag. 640.) Nihilominus scitote quod gens nostrorum » Armeniorum dogma *approbatum per Papam Sylvestrum* » et Gregorium Magnum Armeniae Episcopum....*tenet firmum* et ratum habet. Porro tunc temporis *editum fuit* » *per Ecclesiam Romanam* quod nos celebraremus in pane » azymo meroque vino...de hoc quidem veritatem habemus in chronicis antiquis tempore SS. Papae Sylvestri » qualiter et quomodo de his verbis et sermonibus sit.» Hinc patet quanti apud eos fuerit scriptum istud etsi aliqualiter interpolatum. In hoc autem Foedere S. Sylvester Papa introducitur conferens B. Gregorio Illuminatori Iurisdictionem Patriarchalem ac multa privilegia his verbis: «Nos autem Sylvester *Supremus Romae et totius* » *mundi Pontifex et Autocephalos Protopapa* (ut habet Agathangelus scriptor Armenus saec. IV.)....animo libentissimo inclinavimus ad honorem strenui Confessoris » Iesu Christi et Coepiscopi nostri Gregorii amplificandum...unde ipsum Gregorium in nomine SS. Trinitatis » benediximus...*atque constituimus eum unaque cum illo* » *suos etiam successores Summum Armenorum omnium Pontificem*. Volumusque ut in posterum Pontifex Armeniae » ordinet Pontificem Georgianorum et potestatem habeat » alios instituendi Episcopos super illos Armenios, qui » inter alias Christianorum Nationes ubique dispersi in-

» veniuntur ; nec non quod Albanensium regio sub pe-
» culiaris Pontificis obedientia redigatur, qui ex Albanensi
» Rege promotus ab eodem Armeniorum Pontifice consa-
» cretur....quamobrem *ex hoc sublimi nostro mandato po-*
» *testas Pontifici Armeniorum tribuitur ligandi et solvendi*
» in coelo et in terra quemcumque iuxta Canones Apo-
» stolicos ipse voluerit. »

Satis ergo ex hac traditione eruitur sensus Ecclesiae Armenae de vi et virtute Primatus Rom. Pontificum ac de potestate in universum Orbem; habita praecipue ratione perpetuae et generalis Armenae gentis ergo *foedus* istud reverentiae et obsequii: ita ut omne quod habet Ecclesia Armena ius, potestas et privilegium, unice a S. Romana Sede receptum ac desumptum fuerit.

2. Non aliter autem Patres eiusdem Ecclesiae tenuerunt et in primis B. Gregorius ipse saeculo IV. in Catechesi apud Agathangelum pag. 197. 198. (edit. Constantinopolitana an. 1709.) de B. Petro sic loquitur: « Atque eum » (Petrum) *fecit Petram firmamenti omnium Ecclesiarum,* » ita ut omnes qualescumque Ecclesiae firmitatem ab eodem Petro acciperent.

3. Isaac I. Parthus Catholicon saeculo V. ineunte, Homilia de Ecclesia vocat Petrum « Principem Apostolici Ordinis. »

4. Moyses Chorenensis saeculo V. Chriarum lib. VIII. exemp. 5. Petrum inducit ita loquentem: « A quo (Chri-
» sto) deinceps honorificatus fui primorum factus Prin-
» ceps *per Primatum* » et nominat ibidem ipsum Petrum
» Clavigerum regni coelorum, fundamentum Ecclesiae. »

Ibidem denuo introducit Petrum apostolum ita alloquentem : « Ecce ego typus et exemplar magni boni infallibilis fidei et proclamatus a Domino Petra. »

Idem Moyses in homilia de Virginibus Ripsimenis (edit. Venet. 1843. pag. 315.) sic alloquitur Ecclesiam Romanam. « Nuntium bonum resonate in Occidente, ca- » nite tubas Romae. Exulta et iubila *Universarum capi-* » *talis Urbs* quae sedes in Occasu *coronata luce quae a* » *face Apostoli emanat et habens radios qui per universum* » *propagantur* . . . Iubila et exulta Ecclesia Romanorum » mater Ripsimensium Virginum, et sponsa immortalis » sponsi, sponsa apostolica, alae evangelii a te volarunt » ad Orientem. » Idem auctor in sua Historia (cap. 89. eadem edit. pag. 175.) disserendo de Concilio Nicaeno I. primo loco Legatos Rom. Pontifici Sylvestri nominat, cuius etiam opera Synodum convocatam asserit his verbis: « Et convenerunt Vitus et Vincentius Presbyteri ex urbe » Romae opera S. Sylvestri et Alexander Alexandriae, et » Eustatius Antiochiae, et Macarius Hierosolymae, et Ale- » xander Constantinopoleos Episcopus. »

5. Eznigh Colbensis saec.V. (edit. venet pag. 263.) ita Paulum introducit loquentem: « Non ego tantum Paulus » minimus apostolorum, qui dignus mysterio fui, id ne- » queo; *sed nec Petrus quidem ipse Apostolorum Princeps* » hoc si vidisset, explicare posset. »

6. Ioannes Mandacunius Catholicon saec.V. in concione sua apud Pharbensem scribit « Petrus Ianitor et Claviger » Regni coelorum. »

7. Saeculo autem VII. invenimus monachos armenos Romae constitutos in Concilio Lateranensi anno 649 habito, una cum Graecis in Concilio constitisse et Dominum Papam Martinum I. amplissimis verbis veneratos fuisse. Haec enim legimus in actis eiusdem Concilii (Balut. Concil. tom. VII. pag. 118.) « Thalassius abba » presbyter venerabilis Monasterii Armenissarum in hac

» Romana civitate costituti, qui appellatur *Renati*, et
» Georgius Abba Presbyter Venerabilis Monasterii de Ci-
» licia, qui ponitur in *Aquas salvias* (1), quod in hac Ro-
» mana Civitate habitare dignoscuntur et qui cum eis
» sunt reverendissimi abbates et monachi adstantes co-
» ram Sancto Concilio dixerunt – Supplicamus Beatissi-
» mam Sanctitatem minime despicere nostram in scripto
» admittere postulationem (2) » libellus autem erat accusatio contra Cyrum, Sergium, Pyrrhum et Paulum (3); in praesentato autem libello ita loquebantur: « Sanctae Dei
» et Apostolicae Synodo ex Dei voluntate et gratia, at-
» que indivisa communione Sancti Spiritus in hac con-
» sonanter et unanimiter congregatae antiqua alma Urbe
» Roma, ad confirmationem sacram et erectionem imma-
» culatae, nec non piae Christianorum nostrae fidei, per
» *iussionem sanctam sive praeceptionem divinitus praesi-*
» *dentis vobis, atque omnibus his praeeminentis Sacerdotis*
» *sacerdotum, et patris patrum, domini nostri Martini ter*
» *beatissimi papae*... »

8. Ananias Siracunius saec. VIII. in libro Astronom.

(1) Praeter alia monumenta, Inscriptio Lapidaria in lingua Armena nuper in ruderibus Aquae Salviae inventa et ad Saeculum XIII. ascendens satis indicat quod Monachi Armenii adhuc retinebant in illo loco monasterium de quo sermo fit in praecitatis Act. Concil. Later. an. 649.

(2) Θαλάσιος πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος τῆς εὐαγοῦς μονῆς τῶν Ἀρμενίων τῆς ἐνθάδε παροικούσης εἰς τὴν ἐπιλεγομένην μονὴν Ῥενάτου καὶ Γεώργιος πρεσβύτερος καὶ ἡγούμενος τῆς εὐαγοῦς μονῆς τῶν Κιλίκων τῆς ἐνθάδε παροικούσης εἰς τὴν ἐπιλεγομένην Ἀκουας Σαλβίας καὶ οι σὺν αὐτοῖς πάντες εὐσεβεῖς ἡγούμενοι καὶ μονάγοντες ἔμπροσθεν τῆς ἁγίας συνόδου παραστάντες, εἶπον.

(3) Monachi Armeni ob persecutiones Monothelitarum Romam confugere coacti et libellum accusationis contra eosdem solemniter Rom. Pontifici in Concilio perhibentes, nil dicunt de Honorii R. P. supposita complicitate vel concursu in haeresim illam!...

haec dicit: « Petrus non quoad electionem, sed secun-
» dum cognominis societatem (scilicet cum Christo pro-
» prie nominato Petra ut I. ad Corinth. c. X. 5.) et per
» praesidialem primatum in Choro Apostolico. »

9. Moyses Calcatensis saec. VIII. (historia Alban. Orient.) » Beatus Petrus animo reputans se, non obstante nega-
» tione sua, semper fuisse Caput apostolorum ac simul
» Clavigerum et Principem regni coelestis »

10. Zacharias Catholicon saeculo IX. in illud Lucae II. v. 1. « Exiit edictum a Caesare Augusto » mystico sensu disserens ait: « Antequam natus esset (Iesus) in Bethlem,
» terrestrem potestatem defert Romanis... *Romae* enim
» Sedem Petri et Pauli *ac principalitatem S. Ecclesiae erat*
» *conditurus.* »

11. Chosroes Magnus Episcopus Anzavazenus saec. X. in commentario Divini officii pag. 362 « Apostolorum
» Caput Petrus Claviger Regni Coelorum... qui Petra a
» Domino nostro nominatus est et *fundamentum Ecclesiae*
» *positus fuit* » idemque passim nominat Petrum *Caput Apostolorum* sicut et Romam *Magnum Thronum* (ibidem).

12. Gregorius Nareghensis saec. XI. in praeconio apostolorum dicit: « Primus praenumerandus et honorifice
» praferendus *Petra firmata et crepido fundata,* lapis no-
» minatissimus... »

13. Item Gregorius Doctor Nareghensis aut Sghevrensis haec habet: « Salvator ipse primum Confessorem Petrum
» *constituit Ecclesiae suae fundamentum,* dum illi dixit,
» cum confessione sua fundamenti petram factum fuisse,
» seque super hanc petram Ecclesiam suam *aedificatu-*
» *rum,* idest *omnes fideles ac veros confessores* Triadis con-
» substantialis eiusdemque naturae. »

14. Gregorius Magistrianus saec. XI. in Epistola ad Abre-

him dicit: « Denique unus cruci affigitur capite inverso....
» ille quidem qui *fundamentum est fidei apostolorum et*
» *Prophetarum.* »

15. Nierses Glaiensis Catholicon saec.XII. libr.versuum *Hisus vorti* ita canit: « et proprium sibi nomen *Petrae*
» *immobilis* concessit illi (Petro): » ibidem: « discipulorum
» Supremo, *Sanctae fidei immobilis Petrae* (Petro). »

Idem in Carmine Elegiae pro Edessa Urbe, Romam sic alloquitur: « Et tu Roma mater urbium, alma et ve-
» neranda, *thronus Magni Petri apostolorum Principis: o*
» *Ecclesia immobilis*, constructa super Petram Cephae,
» *invincibilis a porta inferi* et coelum obsignatum rese-
» rentis. »

Idem in Epistola I. ad Manuelem Imperatorem Comnenum: «Imo et accepimus quod Sanctus et primus omnium
» Archiepiscoporum Pontifex Romanus et Vicarius Petri
» apostoli.... » (1).

16. Serkis Doctor Mellifluus Niersetis Glaiensis condiscipulus (in Praefat. comment. I. Epist. S. Petri) « Pe-
» trum autem cum memoro, quem dico?... Eum certe,
» qui *Petra nominatus, et in fundamento Ecclesiae positus*
» *fuit*.... claudentem et reserantem Portas coeli.... verum
» Evangelistam, et coelestem operarium: Sapientissimum
» Architectum, et absque fundamento aedificatorem, cu-
» ius manus fundamenta iecerunt Ecclesiae in magna
» Antiochia, et in oculo orbis terrarum Roma. » Et in illud caput I. v. 1. *Petrus Apostolus Iesu Christi*, sic eloquitur: « Aliud erat ei nomen a suis domesticis impo-
» situm, scilicet Simon. Verum oculus Iesu omnia cernens
» cum perspexisset *illius fidei soliditatem contrariis mi-*

(1) Opera Nersis Glai. Edit. Venet.

» *nime cedentem,* et mentem eius *in bono perstantem,* mu-
» tavit etiam nomen illius omnino ad imaginem eius
» fidei. Intuitus (inquit Ioan. I. 42.) eum Iesus ad se
» venientem dixit: Tu es Simon filius Iona; tu vocaberis
» Cephas, quod interpretatur Petrus. Vidistine verum ho-
» norem ab optimo et sapientissimo collatum famulo?
» quem nemo carne et fluxu hac nostra natura praeditus
» obtinuit: nec ullus Iustorum, nec sanctorum Prophe-
» tarum, neque Evangelii Discipulorum, nisi *solus Beatus*
» *iste.* » Cuius mysterium explanat idem Auctor (in com-
ment. Epist. II. Petri I. 1.) dicens: « Dominus noster ho-
» nore decoravit Beatissimum Petrum mutans ipsius nomen
» ad similitudinem antiqui Abraham, et Iacob, ut eum quo-
» que Patrem multarum gentium efficeret veluti Abraham,
» quin etiam eo excellentiorem, divinioremque. Ille enim
» mortalis cum esset, mortalis generationis pater fuit,
» ideoque in nominis commutatione unius elementi addi-
» tamentum accepit. Iste vero quoniam *Pater spiritualis*
» *generationis erat futurus, et Caput atque Dux,* integram
» recepit nominis mutationem: Simonem nominans Pe-
» trum, qui interpretatur Petra, et *super illam aedifican-*
» *dam promittit Ecclesiam, superiorem cunctis adversita-*
» *tibus tentationum,* quae sunt portae inferi. »

Idem Auctor non semel vocat Petrum « Caput et
» praesidem apostolorum: Fundamentum fidei: Caput et
» Ducem novae Gratiae: *Os totius Ecclesiae* etc. » quem-
que ita alloquitur (in fine comment. I. Epist. Petri):
« Precor te, Pater venerabilis, *Caput, Dux, Apostole, et*
» *Praefecte novi Foederis* et Populi, *universam plenitudi-*
» *nem Ecclesiae commendabis* Domino Verbo, ut *incon-*
» *cussa firmitate stet supra firmamentum professionis tuae*
» *et confessionis.* »

17. Nierses Lampronensis Tarsi in Cilicia Archiepiscopus saec. XII de Sede vel Ecclesia Romana sic disserit: « *Fundamentum et initium fidei* Christianorum et *legum* est » Roma, quae tenet illud *inconcussum* ab Apostolis usque» nunc. » Idem (in exposit. missae, sermo de Eccl.) sic in S. Petrum loquitur: «Secundum a Christo te agno» vimus, o Petre, *Caput post Caput* tu sedisti nobis qui » sumus eius Discipuli: *Petram firmitatis cunctis nobis* » *te fecit fundamentum huius templi:* Agnos et oves in » tuas concredidit manus pascendas, accepto dilectionis » pignore. » Idem Petri auctoritatem sic exponit (ibid.): « Nunc itaque Ecclesia Dei, populus Christianus in tres » classes discernitur, nimirum in plebem, ministros et » presbyteros. Atque isti iterum in singulis classibus » distinguuntur in tres gradus. Ordo presbyterorum in » Archiepiscopos, Episcopos et sacerdotes. Secunda classis » ministrorum dividitur in tres gradus, in Diaconos, » Subdiaconos et Clericos. Tertia vero classis plebis, non » secundum gradum, sed sola fide discriminatur in » Ascetas, seu Monachos, populos sanctos et in fideles » cathecumenos. » Hic porro similitudinem hos inter et choros angelorum distinctorum in tres trinos gradus referens, sequentia subiungit: « His *ternis classibus prae*» *ficiens Christus Apostolorum Caput* Petrum, illi com» misit eos pascere iuxta diversam dilectionis vim. *Si*» *mon,* inquit, *diligis me?* et cum fassus est, tum dixit: » *Pasce agnos meos,* nimirum communem plebem. Secundo » autem dilectionis exigens confirmationem, adiecit: *Pasce* » *oves meas:* ut scilicet sacerdotali dignitate regeret agnos » et ministrorum classes. Denique amplius delectionis » acceptus pignus, tum dedit *ei potestatem summi Sacer*» *dotii,* praesidendi presbyteris, ac iisdem subiectis mi-

» nistris et populo... Petrus dignus efficitur summum ascen-
» dere gradum Pontificatus atque pascere *Arietes,* presby-
» terorum classem, et oves, ordinem ministrorum, et agnos,
» coetum populorum. » Idem ibi in illud Zachariae III. 9.
« *Super lapidem illum septem oculi,* » inquit: « Super illum
» sunt septem oculi, idest, Spiritus Sanctus, qui descen-
» dit a Iesu et requievit super unam eius Ecclesiam. *quae*
» *etiam firmata est super Simon* septem virtutibus. »

Idem in Comment. Psalm. XXVIII. « *Afferte Domino*
» *filios Arietum*» ita disserit: «Per filios *Arietum* intelligi-
» mus illum ipsum, qui hanc precationem adhibet, qui
» natus est ex Arietibus secundum spiritualem partum,
» nempe a rectoribus Ecclesiae per doctrinam: etenim
» illi sunt *Arietes, presbyteri, patres* qui praesident gregi,
» quosque pascendos commendavit Dominus Sancto Petro
» *post agnos et oves.* Cum enim dedisset pignus dile-
» ctionis ter repetitae, dixit: Pasce *Arietes meos,* illos
» scilicet qui dignitate praestent ovibus, ita ut esset non
» tantum *Pastor, verum etiam Archipastor.* Et infra in illud:
« *Dilectus, quemadmodum filii unicornium;* » ait: « Quem
» initio Arietem nominavit, patremque istius, eundem hic
» unicornem dicit, qui sunt Sancti Apostoli, et illorum
» sectatores, *quorum Pastor et Caput erat Petrus.* »

Idem Lampronensis Doctor in oratione habita in Concilio Tarsensi (pag. 27.) « Aedificaturi sumus intelle-
» ctuale templum Dei, *quod fundatum est super Petrum.* »

Idem Nierses in Memoria quam adiicit operi suo « Verbum fidei » confitetur pulcherrimis verbis, ea quae cecinit, non iuxta suam sapientiam fuisse, sed secundum *Doctrinam Petrae Cephae* idest Sedis Romanae. Haec sunt verba eiusdem Patris (1): « Naturale desiderium animi

(1) Pag. 222. in opere suo versuum.

» mei compulit me plus quam vim meam... sed nil novi et » incogniti aut a me confecti sine fundamento factum est, » sed positum super *immobilem Petram Cephae.* » Quo doctrinae suae rectitudinem eo tantum admittit quatenus est fundata super petram immobilem Romanae Sedis, quia apud nos *Petra Cephae* est Synonymum Romani Throni, hoc est Apostolicae Sedis.

18. Ioannes Ezenganus saec. XII. Doctor (Comment. in Matth. c. X. v 2.) « Quamquam omnes erant principales, » tamen Petrum illis praefecit Caput: nec tantum illis » verum etiam *agnis et ovibus, et Arietibus Pastorem eli-* » *git.* Quoniam vero aliquis est primus ratione ordinis, » et alius ratione virtutis; cum iste utroque polleret, or- » dine scilicet propter aetatem provectiorem; et virtute ob » fervidam dilectionem, et intrepidam fidem; ideo honoris » causa illum nominat Petram. »

Idem Doctor ibid. (XIII. 24.) « Tu es Petra simul » cum tua professione, *et super hanc Petram* aedificabo » Ecclesiam meam. » Idem ibid. (XVI. 18.) « Quemadmo- » dum Pater meus dedit tibi agnoscere me, similiter et » ego *pono te Petram fidei a te initium faciens:* non enim » dicit, facio, sed *tu es Petra* . . . . At tu cerne hic vir- » tutem Domini, quod virum unum, piscatorem omnibus » lapidibus duriorem effecerit, ita ut licet totus orbis » impetum faciat in illum, non poterit praevalere . . . . » Sicut Pater dicebat Ieremiae: *Posui te tamquam colu-* » *mnam ferream, et velut murum aeneum;* illum tamen » uni nationi, hunc vero Filius toti mundo ineluctabilem; » et iure quidem, nam quod ipse aedificat, quis potest » destruere ?»

Hic operae pretium erit observare quod apud nos in variis manuscriptis tertium nomen *oves* in Cap. XXI. Evan-

gelii Ioannis traducitur per nomen *khoy* quod significat *Aries,* quodque coetum Episcoporum et Patriarcharum significat iuxta exegesim constantem Patrum Ecclesiae nostrae, uti etiam textus superius allati confirmant.

19. Basilius Doctor armenus saec. XIV. in comment. S. Matthaei cap. XIX. n. 15. «Coenaculum grande est Ec-
» clesia magna, ubi Dominicum Pascha paratum est. Pa-
» terfamilias domus est Petrus Apostolus, *cui commisit*
» *Dominus Domum suam,* quo factus est unus grex, unus
» Pastor et una Ecclesia. »

20. Ex his quae adduximus sententiis Patrum Ecclesiae Armenae patet eosdem B. Petri et Apostolicae Sedis Primatum luculentissimis verbis praedicasse, et Petri Sedem et Episcopum Romae tamquam Patremfamilias considerasse, cui tota Domus idest Ecclesia universa a Domino commissa fuerit: eumque celebrasse uti summum Pastorem Ecclesiae, et uti Petram et fundamentum invictum ac inconcussum, in quo est vera fides contra errores et haereses: supremam potestatem in universam Ecclesiam apud Rom. Pontifices extitisse, et lucem fidei et doctrinae quam habet Sedes Romana ad universam Ecclesiam radios suos propagare: omnes Ecclesias firmitatem ab eadem Petra accipere, et non solum agnos et oves, sed et Arietes illi pascendos a Christo Domino commissos fuisse; et omnem Doctrinam ut recta sit et tuta, super Petram Sedis Romanae esse firmandam et Petrum eiusque Successores non solum Ecclesiarum, sed et fidelium et Populorum Pastorem a Christo fuisse constitutos.

21. Sed priusquam ad alia pergam iuvat hic ea quoque breviter afferre quae Mekitar Sebastenus Ordinis Mekitaristarum Fundator initio decimi octavi saeculi in suis scriptis de hac re docuit. Hic ergo in suo opere « Commentarii in

Matthaeum » quod ipse testatur se anno 1736 composuisse quodque anno 1737 typis eius Congregationis Mekitaristicae S. Lazari Venetiis editum fuit, luculenter non solum Rom. Pontificis et Apostolicae Sedis Primatum, Principalitatem et universalem per totam Ecclesiam iurisdictionem in fidei, morum et legum et disciplinae negotiis, verum etiam eorundem Rom. Pontificum fidei stabilitatem, eorumque de fide et moribus iudicia irreformabilia esse strenue propugnat, acerrime sustinet, et praeclaris commentariis eandem veritatem evolvendo docet, atque eiusdem doctrinae hostes fortiter impugnat.

In pag. ergo 389. dicti operis ita Mekitar Abbas loquitur: « Petrus dicitur Pastor, quia hoc nomen accepit » a Christo et constitutus fuit tamquam Vicarius Christi, » ut visibiliter in se et in suis successoribus pasceret » gregem Christi usque ad consummationem saeculi : » propter hoc dixit ei, Pasce agnos meos, idest qui mei » sunt, pasce tu, ex quo sequitur quod *quicumque noluerit pasci per Petrum, non potest fieri grex Christi.* »

Pagina autem 390. eiusdem operis ad verba « Tibi » dabo » haec adiicit: « per *tibi dabo* demonstrat quod » hunc supremum Primatum *non alteri dat, neque communitati, idest Ecclesiae immediate et principaliter* sed » tantum Petro, per quem prout a capite ad corpus Ecclesiae descendit ad membra et ministros Ecclesiae. »

Pag. autem 392. haec habet: « Regnum Christi idest » Sancta Ecclesia, quo magis aucta est et membra sua crebuerunt, eo magis *indiget unius capitis et principis,* ut » omnes dissensiones quae possent exoriri inter tot tantasque multitudines fidelium *in verbo fidei et legum,* » *unitate decisionis unius principis tollantur de medio et* » *grex Christi conservetur in unitate.* »

Item « ex quo sequitur quod Vicarius Christi idest » Rom. Pontifex habens has claves non solum ligat et » solvit, constituendo aliquem in officio, vel ab eo di- » mittendo, distribuendo fidelibus thesauros indulgentia- » rum, et negando illos haereticis, admittendo obedientes » in Ecclesiam et reiiciendo ab illa non obedientes, sed » et solvit et ligat homines, peccata, promissiones, votum » leges etc. » Item in pag. 393-4 (1): *ligat leges ieiunii » et rituum et aliorum similium, obligando populos ad » eorum observantiam, vel solvit dispensando ab iis.* »

Pag. autem 396. sic habet: « Denique hoc dico, quis- » quis vult esse agnus gregis Christi, debet esse sub » obedientia illius, cui concreditus fuit grex Christi, idest » Petro et eius successoribus, et quisquis non vult scin- » dere unum gregem Christi, unitatem catholicae eius » Ecclesiae, debet submittere seipsum uni Vicario Christi » idest Successori Petri Romano Pontifici . . . *alioquin » parum proficit eidem profiteri in symbolo et dicere unam » Catholicam et Apostolicam* Ecclesiam. » Postea pag. 395. sic edocet: « Et quemadmodum Apostoli a Christo acce- » perunt omnem potestatem sui apostolatus, et Petrus » non modo potestatem Apostolatus sed et Vicariatus ac- » cepit, ut tamquam Vicarius Christi possit constituere » Principes in Ecclesia: ita et Episcopi qui successores » sunt Apostolorum, *debent accipere potestatem Episco- » patus a Vicario Christi mediate vel immediate, et Rom.*

(1) Կապէ (Քահանայապետն Հռովմայ) *զօրէնս պահոց և արարողութեանց և այլոց, պարտաւորելով զժողովուրդն պահել զայն. (Մխիթար Սեբայ մեկնութ̃ի մատթ. էջ* 394).

» *Pontifices qui sunt successores Petri, non solum Episcopi*
» *sunt sed et Vicarii Christi et propterea habent ius con-*
» *stituendi Episcopos, prout Christus constituit Apostolos.* »

22. De infallibili autem magisterio Rom. Pontificum idem Mekitar multa habet, ex quibus haec selectim producere sufficiat.

Pag. 386. commentando verba Christi ad Petrum « et Portae inferi » ita Christum alloquentem introducit: « Et si diabolus suspicionem aliquam in mentes fidelium » inserere velit, quod Petrus, et successores eius, idest » Rom. Pontifices forsan possent errare a fidei rectitudi- » ne, ecce verbo meo *talem te efficio ut tu petra Petrus* » *et successores tui non possitis esse debellati a portis inferi* » *in professione doctrinae et in verbo fidei, et ita tutas reddo* » *omnes petras quae aedificantur super illam petram: quare* » *quisquis vult aedificari super petram Christi, debet ae-* » *dificari per mediationem Petrae Petri et successorum* » *eius,* sequendo veram professionem et doctrinam eorum » in verbo fidei . . . hinc dicendum est *quod Petrus et* » *successores eius sunt Petra immobilis respectu doctrinae* » *fidei, seu per rectam et infallibilem doctrinam* » (1).

Pag. vero 390, in explicatione eorundem verborum « Portae inferi » haec adiicit: « Per portas inferi intelli- » guntur etiam *haeretici* qui per malitiam *et falsam suam* » *doctrinam non possunt debellare Petrum in suis succes-*

(1) Վ՟ որոյ հարկաւոր է ասել թէ վէմն անշարժելի է սբ՟ն պետրոս և յաջորդք նո՟ր վերահայեցմամբ բանից հաւատոյ և կամ ՚ի ձեռն ուղիղ և անսխալ հաւատոյ (Մխիթ. Աբ. մեկնութ՟ն մատթ. էջ 386).

» *soribus*. Et hoc realiter adimpletum fuit, et clare videtur quia etsi Patriarchae sedentes in aliis thronis defecerunt a recta fide et haeretici steterunt, *sed nemo a successoribus Petri idest a Rom. Pontificibus defecit in decreto fidei:* quia sicut Spiritus Sanctus ducebat Arcam Noe, ne in tanta undarum agitatione submergeretur, ita et Christus semper *et speciali modo conducit successores Petri Rom. Pontifices ne pervertantur in doctrina fidei.* »

Pag. 393. item: « Si Christus Petro et successoribus eius non concessisset prius (per verba *tu es* Petra) *hanc gratiam ne falli possent in doctrina fidei,* numquam daret claves regni sui in manus eius et successorum ipsius et numquam diceret: quodcumque ligaveris etc . . . quare per verba illa *primo Petrum et Successores eius infallibiles constituit in doctrina fidei,* prout etiam prius dixerat : Petram inexpugnabilem a portis inferi. »

Tandem in pag. 747. haec tradit: « Christus per ea verba (Diabolus tentavit etc.) praevidebat quod Diabolus tentaret Vos (Apostolos) in vestris successoribus qui sunt Episcopi; idest in successoribus Vestris imminueret rectitudinem fidei... Sed ego pro te, Petre, rogavi Patrem *ne, cum tu sis caput Apostolorum et successores tui caput Episcoporum, deficiat recta fides tua in tuis successoribus, ut tu per tuos successores reversus aliquando confirmes fratres in successoribus eorum in recta fide:* Prout factum est hoc quia plurimi Episcopi cuiuscumque Sedis et provinciae tentati a Diabolo ceciderunt in schisma et a successoribus Petri idest a Rom. Pontificibus confirmati fuere in fide, et Dominus noster *propter hoc rogavit Patrem ne deficiat fides*

» *Petri in suis successoribus, ne umquam fides orthodoxa*
» *deficeret a sua Ecclesia.* »

Ex his quae adduximus palam conficitur quid tradiderit Mekitar Abbas de Primatu Rom. Pontificis et de plena eius auctoritate et iurisdictione super universum gregem et singulos agnos et oves, et quid de infallibili magisterio Rom. Pontificum. Capita integra habet in eodem opere ad refellendas argutias quae adduci solent contra hanc doctrinam Ecclesiae Catholicae, sed sufficiat mihi per superius adducta testimonia palam et aperte adstruere quod Mekitar Abbas homo tam versatus in Ecclesiae suae traditione et conscius de suae gentis indole, Fundatorque praedictae Congregationis Armenae, iura et praerogativas Primatus Rom. Pontificis aeque et indefectibilitatem eius fidei in eodem suo opere typis edito propugnare et nationi suae praedicare numquam erubuit vel noxium fore putavit.

XVI.

Sed quod gravius est, non pauci ex ipsis Doctoribus Armenis Schismaticis Primatum B. Petri et privilegia eius agnoverunt.

1. Inter hos Vartanus in Monitis ad Armenos cap. 5. Petrum appellat « Caput Apostolorum. »

2. Item Vanaganus Coscigh dictus, in libro interrogationum ex apostolis solum Beatum Petrum a Christo fuisse baptizatum affirmat, reliquorum vero *baptisma a Petro inchoatum esse.*

3. Sergius Pseudomagister apud Surdum Magistrum tract. 3. dicit de Petro: «Beatum Petrum apostolorum

» *Caput ac Ducem fideique fundamentum* Christus consti-
» tuit » et infra: « *Petri manus Ecclesiae fundamenta iecit*
» *in alma urbe Roma.* »

4. Demum Ioannes Orodnensis in sermone de B. Petro apertissime docet Christum reliquisse Petrum in Ecclesia sui Vicarium et explicat vim ac virtutem Petro-Apostolici Primatus dicens: « Dominus Noster I. C. quatuor ha-
» bet potestates, quae illum solum decent. Primo quia
» Christus est principium et fundamentum Ecclesiae,
» sicut scripsit apostolus, *et hanc Petro communicavit* di-
» cens: Tu es Petra et super hanc Petram aedificabo
» Ecclesiam meam: Secunda potestas est, quod sit Caput
» omnium fidelium, ut idem testatur Apostolus, et *hoc of-*
» *ficium dedit Petro,* cum ei dixit: tu vocaberis Cephas quod
» significat Caput apostolorum: Tertia est quod Christus
» est Pastor Ecclesiae, iuxta illud: Ego sum Pastor Bo-
» nus: et *hanc largitus est Petro* dicens: Pasce agnos
» meos et oves meas: Quarta est quod Christus est iudex
» iuxta illud: Pater omne iudicium dedit filio, et *hanc etiam*
» *Petro attribuit* quando dixit: quodcumque ligaveris su-
» per terram, erit ligatum et in coelis. » Infra autem idem Doctor dicit: « Sol significat Petrum qui *est fons luminis*
» *et Caput apostolorum.* »

5. Recentius vero vir armenus Schismaticus Iohannes Deroyenz qui apud suos in scientia Ecclesiastica fere primus reputatur, in opere suo cuius nomen *Iravakhoh* impresso Constantinopoli anno 1868 cum approbatione Georgii Patriarchae armenorum schismaticorum in Ecimiazin, non diffitetur S. Ecclesiam Romanam appellare « *Matrem et Magistram omnium Ecclesiarum.* » Quod schismaticus homo certe non dixisset, nisi compulsus fuisset antiquissimae et immemorabilis traditionis au-

ctoritate in Ecclesia Armena etiam schismatica adhuc vigentis.

Ubi adnotandum est antiquissimam notionem Primatus Romanae Sedis apud Armenam gentem tam altas radices defixisse, ut ferme in omnibus historiae suae paginis notio illa occurrat, ex quo facile intelligitur qua ratione fiat ut etiam qui in schisma et haeresim prolapsi sunt, illius oblivisci non posse videantur, eamque fortasse vel inviti passim ingerant.

6. Inter alia et illud ex historicis documentis Ecclesiae Armenae evincitur quod Patriarchae eius gentis litteras Rom. Pontificis magna cum veneratione et obsequio semper exceperint, ut ex plurimis eorundem epistolis eruitur: illae enim cum ad eos deferebantur, fronti, pro recepto regionis usu, admovere, capiti superimponere et reverenter osculari consueverunt. Legatos quoque Rom. Pontificum singulari semper honore prosequuti sunt atque eos uti Legatos Vicarii Christi humillime ac devotissime excepere. Ipse Sidoniensis Episcopus a Rom. Pontifice Xisto V. ad Orientis gentes legatione missus, in sua relatione italico idiomate scripta (1) ita describit Summo Pontifici suam receptionem: « Fui ricevuto nel Monastero della città di » Sis dagli Armeni *come Nunzio con processioni, canti,* » *croci, lumi e turiboli, tutti correvano a baciar la mano* » *per la divozione che tengono alla Santa Romana Chiesa,* » pregandomi di restar con loro più tempo, e quasi tutti » si riportano in ogni cosa al Patriarca o Prelati loro, » dicendo, noi non avemo lettere nè teologia, ci lascie» remo guidar da'nostri Prelati. »

Idem ipse Episcopus Sidoniensis (Balutii Miscellan.

(1) Stephan. Balutii Miscellan. tom. IV. pag. 157.

tom. IV. pag. 156.) haee denuo scribit ad Dominum Papam Xistum V. de reverentia et obedientia Patriarcharum Armenorumerga S. Ecclesiam Romanam: « La buona » intenzione ed ubbidienza del suddetto Patriarca (Ar- » meno) Gregorio e di Arachele suo Coadiutore, V. San- » tità degnandosi, la potrà conoscere dalle proprie lor » lettere mandate per me alla Sede Apostolica in rispo- » sta di due Brevi Apostolici, e delle lettere del Cardi- » nale Santa Severina Protettore di quella nazione Ar- » mena, nelle quali lettere si ricusano non poter venire » in persona insino a Roma a far testimonio della debita » lor ubbidienza alla Sede Apostolica per la povertà e mi- » seria, nella quale si ritrovano, e per la paura che » tengono de'nemici durando le guerre nel proprio Pa- » triarcato...

» Arrivò il detto Arachele l'anno 84. nella città di Ca- » ramit, alla quale ho mandato un uomo a parte, e con » lettere delli primi Armeni d'Aleppo e anche con let- » tere del Patriarca dell'Armenia Minore, l'ho pregato, ed » invitato di arrivare in Aleppo per trattar seco quanto » la S. Sede Apostolica li scriveva per Breve particolare, » ed il cardinale Protettore gli persuadeva per sue lettere, » ovvero che mi aspettasse dove a lui pareva più sicuro » e commodo, e mi rispose non si poter abboccar con me » per l'istessa suddetta causa, ma in fede della sua ub- » bidienza alla Santa Romana Chiesa scrisse di nuovo » altre lettere, le quali anco sono conservate appresso il » cardinal Protettore... »

Ex his documentis historicis patet clarissime Armenos semper summa reverentia coluisse Supremam S. Petri Sedem et eius iura et privilegia ab antiquo professos fuisse, et magno obsequio recepisse Legatos S. Sedis

eisque tamquam ipsis Summis Pontificibus honores, reverentiam ac obedientiam exhibuisse.

XVII.

Iamvero cum alteram classem documentorum, quae ex litteris Patriarcharum vel aliorum Praelatorum Ecclesiae Armenae ad Summos Rom. Pontifices scriptis coalescit, exponendam aggredior, iuvat animadvertere plurimas earum vel periisse vel hactenus delitescere; constare autem ex historicis documentis ac ex Rom. Pontificum litteris responsivis eas scriptas fuisse. Etsi vero hanc monumentorum iacturam graviter doleam, gaudeo tamen ex iis quae superfuerunt et quarum opportunas particulas heic referam, gravissimum erui argumentum de firma et constanti Ecclesiae Armenae traditione circa Rom. Pontificis primatum, iura et praerogativas

1. In primis occurrunt noster Narses Catholicon et alius Episcopus Armenus qui subscripserunt litteris synodalibus quas S. Basilius M. cum 32 Episcopis scripserat ad S. Damasum Papam et ad Episcopos Italos et Gallos. In hac Epistola sic animi sui sensus aperit Ecclesia Caesariensis Romanae Sedis auxilium flagitans: « Itaque dum » adhuc nonnulli videntur stare, dum adhuc veteris sta- » tus vestigium servatur, priusquam cumulatum Ecclesiis » superveniat naufragium, *festinate ad nos,* iam festinate, » ita precamur fratres germanissimi: in genua provolutis » manum porrigite.... mediam orbis partem ab errore » absorberi ne sinatis: nec fidem apud eos feratis extin- » gui, apud quos primum illuxit... ob quae et maxime » indigemus auxilio vestro, ut qui apostolicam profiten-

» tur fidem, excogitata a se schismata dissolventes deinceps auctoritati Ecclesiae subiiciantur, ut perfectum fiat Christi corpus iam in omnibus membris integritati restitutum .... Revera enim laude summa dignum est quod *a Domino pietati vestrae datum est adulterinum quidem a probo ac puro discernere,* patrum vero fidem sine ulla dissimulatione praedicare » (1).

2. Ubi notandum est etiam quod tempore unionis Ecclesiae Constantinopolitanae cum Apostolica Sede, Patres Ecclesiae Armenae directe cum Constantinopolitanae Ecclesiae Episcopis epistolarem communionem habere consueverant prout testantur eorum litterae ad Proclum, Atticum et Germanum Patriarchas eiusdem Ecclesiae Constantinopolitanae Sedis; cum vero haec se a vitae arbore scindens in horridum schisma prolapsa est, tunc orthodoxi Ecclesiae Armenae Patriarchae interrupta cum illa Ecclesia communione, directe ad S. Apostolicam Sedem recurrere coeperunt.

3. Equidem ex litteris Summi Pontificis Gregorii VII datis 8. Idus Iunii anni 1075 ad Gregorium Patriarcham Armenorum qui Martyrophilus dictus est, eruitur Patriarcham istum litteris suis obedientiam suam ac devotionem Summo Pontifici exhibuisse; in hac enim epistola Summus Pontifex ita de Ecclesia Romana ad Patriarcham Armenum scribebat: « Romana Ecclesia omnium mater Ecclesiarum adstruitur et ita usque in finem semper habebitur in qua *nullus unquam haereticus praefuisse* dignoscitur, nec *unquam praeficiendum Domino promittente confidimus,* ait enim Dominus Iesus, ego pro te oravi ut non deficiat fides tua » (2). Acceptis his litteris Patriarcha

(1) Epist. Basil. Ep. 92. alias 99. Opera S. Basilii T. III. pag. 183.
(2) Greg. VII. litt. lb. 8. Epist. 1.

Gregorius Romam proficiscebatur ac personaliter Vicarium Christi veneratus, ac omnes eiusdem ordinationes de fide ac disciplina tam canonica, quam liturgica reverenter excipiebat; ad quarum normam in Armeniam reversus omnia componere satagebat (1).

4. Anno vero 1184 scimus Gregorium Patriarcham qui *Degha* nominabatur ad Lucium III. litteras obedientiae misisse per Episcopum Philippensem et responsum ab illo recepisse uti refert Nierses Lambronensis qui testis fuit ocularis et litteras ipsas Pontificis in linguam Armenam se convertisse testatur: en eius verba: « Cum autem recepisset S. Patriarcha sacrum Pallium et mitram in plenitudinem sui honoris, gratias egit Deo et litteras Pontificis et Pontificale dedit humilitati meae, ut transferrem a latino, et ego transtuli in linguam Armenam; solummodo concinnavi eam cum regulis grammaticae sine aliquo additamento vel defectu.» Ipse Lambronensis refert litteras Summi Pontificis a se translatas, in quibus Pontifex cum privilegia Sedis Apostolicae explicaret, hortatur eum ut firmiter adhaereat petrae angulari, et praeterea proponit illi corrigenda aliqua iuxta ritum S. Romanae Ecclesiae, qua de causa ad eum misit Pontificale et alios libros ut secundum illos sacram disciplinam instauraret, ita enim loquitur Pontifex: « et cum super hanc petram firmastis aedificium fidei, debetis omni diligentia ac solertia operam navare, ut et in omnibus similes nobis sitis in cultu Dei, et prout profitemini omnem rectam professionem fidei, quidquid deficit a regulis corrigite. »

Ab iis quae praecedunt aperte sequitur Gregorium Patriarcham qui fuit unus e praeclarissimis Patriarchis Ec-

(1) Baron. tom. XVII. ad an. 180.

*

clesiae Armenae, et Nersetem Lambronensem, qui etiam lumen fuit eiusdem Ecclesiae, non solum recognovisse in Rom. Pontifice Primatum sed et obedienter suscepisse regulas disciplinares quas Summus Pontifex proposuerat.

5. Post Gregorium Patriarcham alter Gregorius Patriarcha Abirad cognominatus anno 1198 humillimas litteras ad Summum Pontificem Innocentium III. dedit ex quibus liceat nobis aliqua proferre. Sic itaque Patriarcha alloquitur Pontificem (1): «Post Deum, qui est Caput omnium » bonorum, apostolicam Sedem tenenti et *Summo Capiti* » *Ecclesiae*...Successori B. Petri maioris nati post Christi » principis et Patris totius mundi, *sedenti secundum Deum* » et portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei » gratia Summo Pontifici *universali Papae* Summae Se- » dis Romanae Urbis, quae imperiali triumpho univer- » sum mundum subiugavit, Domino et nostro in Christo » Patri spirituali, tantae civitatis gloria sublimato, Gre- » gorius minimus Episcopus...et quia *pater estis totius fi-* » *dei Christianitatis, mandatum Vestrum* cum amore re- » cepimus, et posuimus *super oculos* et *faciem nostram*... » Haec quae audivimus et cognovimus, et *absit quod a* » *S. Romana Ecclesia removeamur usque in finem.* In Chri- » sto igitur gavisi sumus quia *mater Ecclesiarum, quae to-* » *tum orbem claritate sua irradiat,* voluit Catholicam Ec- » clesiam Armeniorum bono corde respicere et consolari.»

Idem Patriarcha Gregorius Abirad alteram scribebat ad Rom. Pontificem Innocentium III. epistolam his verbis exaratam (2): « Vobis qui estis Caput post Christum » consecrati ab eo et Caput Catholicae Ecclesiae Roma- » nae *Matris omnium Ecclesiarum* adeo prudentes et san-

(1) Epist. Innocent. III. Epist. 44.
(2) Epist. Innoc. III. lb. II. pag. 482.

» cti quod debetis esse in loco Apostolorum sublimis Pa-
» pa.......cum vos *qui estis Caput, estis incolumes, nos*
» *qui sumus corpus*, bene *valebimus* per vestram bene-
» dictionem....Sciatis Domine quod ipse (Archiepiscopus
» Moguntinus) nobis monstravit *vestra praecepta et nos*
» *ea multum libenter audivimus,* et libenter volumus le-
» gem, et fraternitatem sublimis Ecclesiae Rom. quae est
» *Mater omnium Ecclesiarum* et nos volebamus eam ha-
» bere et nunc eam habemus *et libenter volumus esse ad*
» *Vestrum mandatum, et firmiter sunt ad vestrum man-*
» *datum omnes Archiepiscopi, Episcopi* et omnis Clerus
» nostrae Ecclesiae. »

6. Eodem tempore et Leo Rex Armenorum litteras obedientiae scribebat eidem Summo Pontifici (1) quae incipiunt his verbis: « Gloria, laus et honor Omnipotenti
» Deo qui Vos tantum et talem pastorem Ecclesiae suae
» praeesse voluit, vestris bonis meritis exigentibus et tam
» fructuosam et firmam fabricam super fundamentum Apo-
» stolorum componere, et tantum *lumen super candela-*
» *brum positum toti orbi terrarum ad salutem totius Chri-*
» *stianitatis effundere dignatus est.* In vestri vero luminis
» gratia salutaribus monitis R̃mi Patris nostri Archiepi-
» scopi Moguntini instructi et informati omne regnum no-
» bis a Deo commissum amplissimum et spatiosum et
» omnes Armenios huc illuc in remotis partibus diffusos
» ad veritatem S. Romanae Ecclesiae Divina inspirante
» clementia revocare cupimus et exoptamus. »

Idem Leo Rex in altera sua epistola data Sisi primo die mensis Octobris anni 1199. (2) omnimodam suam devotionem erga Apostolicam Sedem exhibet et dicit: « Testis

(1) Innoc. III. Epist. lb. II. Epist. 219. Tom. I. pag. 484.
(2) Innoc. III. Epist. lb. V. Ep. 42.

» est rerum effectus dum *de omnibus negotiis* nos ad Apo-
» stolicam Sedem appellamus. »

7. His litteris Regis Innocentius III. respondens per suas litteras (anni 1199. VII. kal. Decembr.) ita illum alloquitur (1): « Ipse (Christus) Romanam Ecclesiam non
» solum universis fidelibus praetulit, sed et supra coe-
» teras Ecclesias exaltavit: *ut coeterae ab ea non tam vi-*
» *vendi normam et morum sumerent disciplinam, sed et*
» *fidei etiam catholicae documenta reciperent et eius ser-*
» *varent humiliter instituta*...Ecclesia Romana, Sedes eius
» et sessores ipsius Romani Pontifices....*super Ecclesiis*
» *omnibus et cunctis Ecclesiarum Praelatis, imo etiam fi-*
» *delibus universis a Domino Primatum et Magisterium ac-*
» *ceperunt.* .gaudemus autem quod tu sicut princeps Ca-
» tholicus *Apostolicae Sedis privilegium recognoscens*....»

8. Post annum vero Archiepiscopus Sisensis Regis Armenorum Cancellarius litteras ad eundem Pontificem Innocentium III. scribens (2) haec dicit: « Tenemur nempe
» de obedientiae vinculis et devotionis reverentia *omni-*
» *bus mandatis S. Sedis Apostolicae pro viribus obsecun-*
» *dare*... » Reliqua pars quoque litterarum exhibet humillimas pollicitationes de obediendo ad omnia mandata S. Sedis.

9. Cum vero Ecclesia Armena talem de Primatu etiam iurisdictionis Rom. Pontificis fidem haberet, ut plenam in eo per universas Ecclesias auctoritatem agnosceret, hinc Leo Rex et Catholicon optantes frui privilegio immunitatis a quacumque alia Ecclesiastica auctoritate, ad ipsum Pontificem Romanum Innocentium III. confugiebant ab eodem privilegium hoc exposcentes. En epistolae duae Sum-

(1) Innoc. III. Ep. lb. V. Ep. 218.
(2) Innoc. III. Epist. lb. V. Ep. 46.

mi Pontificis a quibus idipsum eruitur: « Catholico, Ar-
» chiepiscopis et Episcopis per Armeniam constitutis: Cum
» iuxta canonicas et legitimas sanctiones sententia quae
» a non suo iudice fertur in quemquam, nec nomen sen-
» tentiae mereatur habere, praesentium auctoritate statui-
» mus ut nullus omnino qui ordinariam vel delegatam
» iurisdictionem in vos vel vestros subditos non habuerit,
» sententiam ferre praesumet; quae si forsan lata fuerit,
» ipsam decernimus irritam et inanem. Firmiter etiam
» inhibemus ne quis iurisdictionem in vos vel subditos
» vestros habens, vos aut ipsos iniuste molestet. Nulli
» ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae con-
» stitutionis et inhibitionis infringere vel ei ausu temera-
» rio contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit
» indignationem omnipotentis Dei, Beatorum Petri et Pauli
» Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum La-
» terani XIII. Kal. Septemb. Pontificatus anno tertio deci-
» mo » (Epist. Innoc. III. lb. 13 Ep. 122.).

« Regi Armenorum illustri: Regiae serenitatis devotio
» promeretur et sinceritas tuae charitatis exposcit ut non
» solum tibi, sed etiam toti regno tuo specialem gratiam
» faciamus et ob hoc devotionis meritum totam Arme-
» niam Ecclesiam honoremus. Tu enim prae caeteris prae-
» decessoribus tuis, quorum extat memoria, specialius
» *in nostra et Ecclesiae Romanae devotione persistis, et*
» *Apostolicae Sedis Primatum et Magisterium recognoscens,*
» *ad eam velut ad matrem tuam humiliter et devote re-*
» *curris;* propter quod ab ea debes rationabiliter hono-
» rari. Accepimus autem ex litteris quas regia nobis
» serenitas tua destinavit, quod cum regnum Armeniae
» obligatum Sedi Apostolicae obedientiae vinculis reco-
» gnoscas, illud sicut non debebas, ita etiam non vole-

» bas obligari cuilibet alteri Ecclesiae Latinorum. Unde » petebas tibi per litteras Apostolicas indulgeri, ut praeter » Rom. Pontificem nullus latinus in te vel regnum tuum » vel homines regni sive Latinos sive alios cuiuscumque » conditionis, excommunicationis aut interdicti possit sen- » tentiam promulgare. Volentes igitur, quantum cum Deo » possumus, tuae Serenitati deferri et cum honestate tuas » petitiones regias exaudire, tuis precibus inclinati, au- » ctoritate praesentium districtius inhibemus, ne quis in » te vel regnum tuum aut homines regni tui, cuiuscum- » que conditionis existant, qui mediantibus tamen eius- » dem regni Praelatis Sedi Apostolicae sunt subiecti, » *praeter Rom. Pontificem aut eius Legatum vel de ipsius* » *speciali mandato,* iurisdictionem Ecclesiasticam audeat » exercere. Nulli ergo omnino hominum etc. Datum La- » terani Kal. Iunii » (Innoc. III. Ep. lb. V. Ep. 43.).

10. Anno vero 1209 Ioannes Patriarcha Armenorum vestigiis Praedecessorum suorum inhaerens ad eundem Summum Pontificem Innocentium III. litteras obedientiae mittebat (1) et ita mentem suam ac devotionem de Romanae Sedis Primatu aperiebat: « Ex ineffabili providentia » Domini nostri a quo bonum omne procedit, Armenica » Ecclesia *Primatum et Magisterium S. Romanae Ecclesiae* » *a Deo sibi concessum recognoscens filia eius facta est devo-* » *tissima*, et nos licet indigne ministri ipsius accedente » Domino Petro tituli S. Marcelli Presbytero Cardinali » Legato Vestro, et iniuncta sibi Legatione ad partes Ca- » tholicatus nostri, ubi illi *ob reverentiam cum clero et* » *grege a Deo nobis concesso obviantes quanta potuimus* » *honorificentia illum suscepimus*, et mutuis communicantes

(1) Gesta Innoc. III. Tom. I. pag. 75.

» amplexibus et alloquiis per manum ipsius, *S. Romanae*
» *Ecclesiae et Vobis secundum litterarum Vestrarum teno-*
» *rem obedientiam et reverentiam exhibuimus,* atque Pal-
» lium a V. B. delegatum *solemnitate celebri* ac cum *omni*
» *humilitate* suscepimus, *promisimus in ordine nostro sin-*
» *gulis quinque annis* per Nuntios nostros *S. Romanam*
» *Ecclesiam tamquam matrem et magistram omnium Ec-*
» *clesiarum visitare et in Conciliis cismarinis adesse...* »

Ex iis quae adduximus litteris Patriarcharum et Regis ad Summum Pontificem Innocentium III. missis clare patet Ecclesiam Armenam fideliter conservasse omnem ac plenam devotionem atque obsequium erga Petri Sedem, ita ut illam et Rom. Pontificem recognoverint tamquam Vicarium Christi, universalem Episcopum, lumen fidei, truncum arboris vitae, matrem piam, a qua omnes et singulae Ecclesiae debent enutriri, et ad quam de omnibus rebus convenit appellare, et mandata eius quaecumque sint, de legibus etiam de disciplina recipere ac venerari, et Nuntiis ipsius Rom. Pontificis tamquam eidem Pontifici obsequia praestare, et litteras Pontificias veneratione excipere, et Primatum ac Magisterium Rom. Pontificis a Deo concessum agnoscendo, lumen veritatis ab eodem candelabro requirere necessarium tenuerint et crediderint. Hi fuere sensus obsequentissimi Ecclesiae Armenae, quos documenta scripta superius allata luculenter confirmant, ita ut Romanos Pontifices tamquam Caput et fundamentum Ecclesiae et lumen considerantes sententias eorundem tamquam oracula Dei veneranda existimaverint.

11. Romanus autem Pontifex Innocentius III. videns hanc strictam unionem Ecclesiae Armenae cum Petri Sede exultabat et plurimas litteras tam Patriarchis quam Regi

Armeniae scribebat. Ex his iuvat citare illam quam dedit Patriarchae Armeniae Gregorio anno 1201. IX. Kal. Decembris et cuius hic est tenor (1): « Ex eo te radicatum » in fide Catholica et esse Catholicum non tam nomine, » quam merito experimur, quod *Apostolicae Sedis magi-* » *sterium recognoscens,* eam Ecclesiarum omnium matrem, » et *Nos caput universorum fidelium confiteris, sicuti ex* » *tuarum nobis innotuit serie litterarum.* Nosti etenim » privilegium Petri, quod sibi *Dominus universas oves* » *suas pascendas,* vocabulo tertio repetito commisit, pa- » sce, inquiens, oves meas; et super universos ei li- » gandi et solvendi contulit potestatem, dicens ad eum: » quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in » coelis; et quodcumque solveris super terram, erit so- » lutum et in coelis. *Nosti etiam praerogativam Apostoli-* » *cae Sedis,* quae per merita Beati Petri, etsi non tem- » pore, auctoritate tamen inter Apostolos primi, non » constitutione synodica, sed divina, inter omnes Ec- » clesias magisterium obtinuit, et primatum: funda- » ta super immobili fundamento, de quo Paulus in- » quit Apostolus: fundamentum positum est, praeter » quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus; » et de quo Veritas in Evangelio inquit ad Petrum: su- » per hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae » inferi non praevalebunt adversus eam. Petrus siquidem » post Christum potest intelligi *pastor unus, et Ecclesia* » *universalis unum ovile:* de quibus Dominus in Evan- » gelio protestatur, alias, dicens, oves habeo, quae non » sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et » vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus » pastor. Sane lapis ille angularis, quem reprobaverunt

(1) Epist. Innoc. III. 207.

» aedificantes, factus postmodum in caput anguli, faciens » utraque unum, Iudaeorum populos, et Gentium nationes » in unitate Christianae fidei counivit, Ecclesiam ex » utrisque constituens, non habentem maculam neque » rugam : quae ne post ascensionem eius secaretur in » partes, et ne unitum in eius fide, divideretur ovile, » uni eam commisit Apostolorum Principi gubernandam, » quem solum sibi Dominus, et in officio vicarium, et » in magisterio constituit successorem. Hoc autem tua » Fraternitas diligenter attendens, ac sciens, quod se- » cundum Apostolum omnes unum corpus sumus in Chri- » sto, singuli autem alter alterius membra, Nos, quos » Dominus (licet immeritos) vicarios suos esse voluit, et » Apostolorum Principis successores, *caput Ecclesiae* » *confiteris, et te, ac fratres, et Coepiscopos tuos partem* » *nostri corporis recognoscis ;* sciens, quod sicut palmes » non potest fructum facere a semetipso, nisi manserit » in vite, sic et membrum et sensu caret, et actu, si » non in corporis permanserit unitate. Gaudemus ergo » non modicum, quod in fide catholica perseverans, » circa Nos piae geris devotionis affectum, et filium te » esse Apostolicae Sedis innuis, dum eam esse matrem » omnium protestaris, *recognoscens a Nobis magisterium* » *Ecclesiasticae disciplinae : quam* et si receptam longo » tempore prius, ex parte tamen per venerabilem Fra- » trem nostrum Moguntinum Archiepiscopum Episcopum » Sabinensem, unum ex septem Episcopis, qui Nobis » in Ecclesia Romana collaterales existunt, *suscepisse te* » *gaudes, et desideras observare.* Fuit autem et est ma- » gnae tuae devotionis indicium, quod eundem Archie- » piscopum magnifice recepisti, et curasti non modicum » honorare, sicut et tuae litterae continebant, et ipsius

» nobis relatio patefecit. Monemus igitur Fraternitatem
» tuam, et exhortamur in Domino, ac per Apostolica
» tibi scripta mandamus, quatenus in devotione Sedis
» Apostolicae firmiter perseveres: et in lege Domini die
» mediteris, et nocte: quae sane doctrinae congruunt,
» praedicans; et quae praedicaveris, quantum Dominus
» permittit, adimplens; ut in te nec operibus verba,
» nec opera verbis contradicant. Esto circa subiectos
» magister, ut doceas; ut corripias, pater; mater, ut
» foveas; doceas minus doctos, superbos corrigas, hu-
» miles foveas, et devotos; iustitiam misericordia tem-
» perans, et aequitatem in iudicio non relinquens; etc.
» Datum Later. IX. Kal. Decembris. »

Ex his litteris aperte eruitur quam diserte loquatur Rom. Pontifex de praerogativis Pontificiis, quas et Ecclesia Armena admittebat lubenter uti ipse quoque Rom. Pontifex testatur, ita ut iudicia Rom. Pontificis irrefragabilia crediderit, eumque Primatum tenere in totam Ecclesiam non extraordinario, sed ordinario modo tam in Oriente quam in Occidente, et plurimas ordinationes Disciplinares in Ecclesia Armena eundem Pontificem instituisse ut patet ex praecedentibus litteris non modo quoad disciplinam canonicam, sed et liturgicam, easque a Patriarchis Armenis, uti par erat omni veneratione susceptas fuisse, quemadmodum Patriarcha ipse et Rom. Pontifex vicissim testantur. In his litteris non dicuntur quae sint hae ordinationes disciplinares, sed historici Armeni referunt Cardinalem Moguntinum ex parte Rom. Pontificis proposuisse inter cetera 1. ut populus tempore divinorum officiorum non deberet stare extra Ecclesiam; 2. quod festa principalia celebrarent simul cum Latinis; 3. quod in Vigiliis Paschae et Nativitatis non frangerent ieiunium.

12. Anno vero 1247 illustrabat Patriarchalem Sedem Constantinus dictus *Parzerpertzi*. Ex multis quas scripsit vir praeclarus epistolis ad Rom. Pontifices, illam in medium afferre licebit quam prae manibus habemus. In hac ergo epistola data ad Innocentium IV. Summum Pontificem (1) Constantinus Patriarcha sic suos erga Rom. Sedem aperit sensus:..... « *Patri Patrum, decori Pastorum,* mise-
» ricordiae, vitae fonti, pietatis et indulgentiae, intercedenti
» pro populo Domini, *Perfecto in Divinis, excellenti in*
» *spiritualibus, soli iustitiae, cuius lux oritur super qua-*
» *tuor mundi climata, qui lucet et splendet in Ecclesiis*
» *Catholicis sanctis, Cherubim corpore et Seraphim carne,*
» *tenenti Sedem B. Petri,* Domino meo Papae..... Per-
» venit ad nos Epistola Vestra elegans *quae ex ore Ve-*
» *stro Sancto prodiit,* et *mandato vestro excelso conscripta*
» *est,* et suscepimus eam manibus nostris debilibus, et
» eam super *oculos nostros posuimus, et sicut Simeon se-*
» *nex, qui portavit Dominum nostrum I. C. in ulnis*
» *suis,* sic diximus quia viderunt oculi nostri pietatem
» Vestram immensam. Nunc igitur Domine mi, dimitte
» servo Vestro peccata sua, sicut posita est in manibus
» Vestris potestas ligandi et absolvendi et omnium my-
» steriorum.... »

13. Has litteras Constantinus Patriarcha mittebat ad Innocentium IV. per Religiosum Virum Andream: mittebatur etiam eodem tempore ad eundem Rom. Pontificem Innocentium IV. Professio fidei ex Orientalibus cui et Armeni subscripserant et in qua sic enuntiatur Primatus Petri Sedis (2): « Illi generi Supremo constitutivo
» omnium specierum, quod ita vocatur genus, quod non

(1) Wading. Annal. Tom. III. pag. 177.
(2) Raynal. ad an. 1247. num. 38.

» contingit ipsum vocari speciem; *Patri Patrum*, SSm̃o
» Innocentio, *tenenti Sedem B. Petri Principis Apostolo-*
» *rum,* glorificato a Christo Domino, qui credidit B. Pe-
» tro claves regni coelorum et posuit eum *fundamentum*
» *Ecclesiae*.... Haec est igitur fides nostra et confessio
» nostra et nobiscum Aegyptii *et Armeni* et Lybii et Ae-
» thiopes. Confitemur iterum quod Sacrosancta Ecclesia
» Romana est *Mater* et *Caput omnium Ecclesiarum* et
» ipsa est in qua reposita sunt corpora Beatorum Petri
» et Pauli. »

Ex superius allatis testimoniis clare patet Ecclesiam Armenam Rom. Pontificem tamquam *perfectum in Divinis, solem iustitiae, cuius luce totus mundus illustratur*, professam fuisse, ac S. Romanam Ecclesiam caput et Matrem omnium Ecclesiarum agnovisse, et mandata eius humillime ac submissa obedientia obsequutam fuisse.

14. Anno autem 1289 SSm̃us Dñus Papa Nicolaus IV. optime cognoscens sensus et animum devotionis Armenorum erga S. Sedem Rom. litteras mittebat nonis Iulii ad Regem eorum Ayitonem, in quibus postquam laudasset devotionem Regis erga S. Sedem mittebat Professionem fidei, in qua de Primatu Rom. Pontificis haec leguntur (1): «*Ipsa quoque Sacrosancta Romana Ecclesia sum-*
» *mum, et plenum primatum, et principatum super uni-*
» *versam Catholicam Ecclesiam obtinens,* quem se ab ipso
» Domino in Beato Petro Apostolorum Principe seu ver-
» tice, cuius Romanus Pontifex est successor cum po-
» testatis plenitudine recepisse, veraciter et humiliter re-
» cognoscit, sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem
» defendere, *sic et si quae de fide subortae fuerint quae-*

(1) Wading. Annal. Tom. V. pag. 199.

» *stiones, suo debet iudicio definire*: ad quam potest gravatus quilibet in negotiis, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus appellare; sed et in omnibus causis, ad examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest recurri iudicium; *et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae*, ipsarumque Praelati, et obedientiam, et reverentiam sibi debent: apud *quam sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias caeteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas, et Patriarchales praecipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit; sua tamen praerogativa, tam in generalibus Conciliis, quam in quibuscumque aliis salva* . . .»

» Porro praescriptam purissimam, certissimam, et solidissimam orthodoxae fidei veritatem, Evangelicae doctrinae consonam a sanctis Patribus traditam, et Romanorum Pontificum in suis Synodis definitione firmatam, *sicut nec decet, sic nec volumus, novae discussioni, ac definitioni subiacere*, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas, et licitum in dubium revocando. Datum Reate nonis Iulii Pontificatus Nostri anno 2. »

15. Praestat etiam afferre hic praeclaram epistolam quam Patriarcha Armeniae Gregorius VII. anno 1297 scripserat ad Summum Pontificem Bonifacium VIII.

Epistolae istius initium hoc est (1): « Tibi SSmo Patri nostro, Vicario in terris Domini nostri Christi, et locum tenentis S. et principalis Apostoli Petri, *Summo Pastori universi gregis Christi, et Capiti omnium Ecclesiarum et Magistro omnium Christianorum*, flexis genibus et collo pedum plantas deosculor cum amore,

(1) Extat in manuscriptis Conventus RR. PP. Mekitaristarum Viennae.

» Ego humilis Gregorius Catholicus Armenorum, cum
» Episcopis et toto Clero, quaeso Benedictionem.... »

16. Bonifacius autem VIII. accipiens has obsequentissimas litteras ita Patriarchae respondebat (1): «Ex litterarum
» tuarum tenore et relatu tui nuntii qui nobis praesentavit
» easdem, Apostolatui nostro innotuit reverentia et de-
» votio, *quam geris* ad nos et ad Sanctam Romanam Ec-
» clesiam, matrem Ecclesiarum omnium et Magistram;
» innotuit enim vera et pura professio qua nos *Caput*
» *universalis Ecclesiae Orthodoxae, successorem Petri, Vi-*
» *carium Iesu Christi et universalis dominici gregis Pa-*
» *storem humiliter recognoscis.* »

17. Praedictus Patriarcha Gregorius recurrebat ad eundem Pontificem Bonifacium VIII. et supplicibus litteris precabatur ut ipse auctoritate sua Apostolica Armeno Principi Sempad et Isabellae Ioppensis comitis filiae consanguinitatis tertio gradu coniunctis dispensationem concederet in Matrimonio iam invalide contracto persistendi, uti colligitur ex epistola eiusdem Rom. Pontificis ad Regem Sembat (2), et hoc est initium huius praestantissimae Epistolae «Sancta Romana Ecclesia non solum ve-
» nerandorum Conciliorum definitionibus et beati Petri
» aeternae vitae Clavigeri meritis Ecclesiis caeteris est
» praelata, sed Evangelica voce Domini dicentis: Tu es
» Petrus – in orbe terrarum obtinuit Principatum..... »
Infra autem: « *Et haec Romana Sedes quae mater est fidei*
» *sola, auctoritate ab ipsis excepta, praestat Conciliis, iura*
» *statuit, et omnibus legem ponit. Hinc sive Patriarchatus*
» *cuiuslibet apicem, sive Metropoleon Primatus aut Epi-*
» *scopatuum Cathedras vel Ecclesiarum cuiuscumque ordi-*

(1) Raynal. Tom. II. pag. 255.
(2) Bonif. VIII. lib. 4. Epist. 268.

» *nis dignitatem instituit* unde dispensandi supra ius absolutam obtinuit potestatem... Quo fit ut qui Romanae Ecclesiae privilegium huiusmodi ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur *procul dubio labatur* in haeresim et illi contumax reputetur. » *Haec novissime diebus istis Gregorius in Armenia* quae » olim est dicta Cilicia unde originem ducitis, *Catholicon gerens officium est professus, hoc etiam sanctorum Patrum et Orthodoxorum Doctorum habet incommutabilis et vera sententia.* »

Ex his quae praecedunt mutuis litterarum tenoribus denuo palam eruitur praeclarissimos illos Armeniae Ecclesiae Patriarchas et Reges in Rom. Pontifice caput et Magistrum omnium Christianorum, Summum Pastorem universi Gregis veneratos fuisse, eiusque in Concilia auctoritatem agnovisse, et ius quo pollent ubicumque Patriarchatus instituendi et in quaestionibus iuris canonici per universam Ecclesiam dispensandi. Ex quo illud sequitur memoratos Patriarchas, omnium qui Armeniae Ecclesiae praefuerunt praestantissimos, integram servasse acceptam a maioribus suis fidem et doctrinam de primatu Romani Pontificis, eiusque supremo et inenarrabili magisterio.

18. Idem ipse Gregorius Patriarcha ut doceret Ecclesiam suam veram fidem, et evelleret quosdam abusus, praeclaras litteras mittebat anno 1307. ad Aitonem Patrem Leonis Regis Armeniae (1), in quibus ut convinceret hostes de necessitate miscendi aliquantulum aquae in calice sic loquitur: « Extantque quas praesens sibi defert litterarum fasciculus, *Alexandri* et *Iulii Romanorum Ponti-*

(1) Mansi Supplem. ad Conc. Venet. Labb. tom. III. pag. 271.

» *ficum litterae,* in quibus Missae sacrificium sine aqua » conficientes *anathematizantur....* » Postea de Romana Ecclesia sic loquitur: « Verumtamen omnes eiusdem Roma- » nae Ecclesiae Christianos recipimus et approbamus, » sunt namque *sicut et primae Sedi, ita et Deo propinqui.* »

Item « quocirca nos a Sancta Romana Ecclesia *aquae » commixtionem modo recipimus sicut ab eadem azymum, » mitram Episcopalem et modum signandi crucem.* » Haec testimonia optimi Patriarchae in hac sua praeclara epistola quae postea lecta in Synodo Armena Sisensi, fuit etiam synodaliter recepta, demonstrant Ecclesiam Armenam iudicia Rom. Pontificis tamquam Dei oracula recepisse, et multas disciplinares ordinationes a S. Sede impositas humiliter accepisse.

19. Anno vero 1321. cum Ioannes XXII. Rom. Pontifex Apostolicam Sedem regeret, multas obedientiae litteras a Patriarchis Ecclesiae Armenae recepit, quae hactenus inveniri non potuerunt, sed eas ab Epistolis Summi Pontificis colligere fas est. Cum Patriarcha Ciliciae Primatum Petro-Apostolicae Sedis mirifice profiteretur, e contra aliqui ex Maiori Armenia Episcopi seiuncti adhuc manerent ab Apostolica Sede, illis praeclaras litteras mittens Ioannes XXII. (Wading Annal. VI. pag. 369.) eos ad unionem excitat et ita ipsos edocet: «*Praevidens autem Dominus quod » Ecclesia sua conculcaretur a tyrannis, laniaretur ab hae- » reticis et a schismaticis scinderetur ait: Ego pro te oravi, » et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Ex quo » colligitur evidenter quod ad Sedem Petri omnis sit quae- » stio referenda:* » item de Primatu S. Petri eos instruens ait: « Hunc (Petrum) itaque suarum ovium Pastorem sub- » stituens universalem in terris earundem *pascendarum » curam indistincte commisit eidem* tertio dicens: Pasce

» oves meas » item « haec est igitur doctrina quam tenet » et praedicat Sacrosancta Rom. Ecclesia, quae *iustos vi-» vificat, labentes stabilit*, corda purgat; haec est vere pu-» gnanti clypeus, arrha sponsae, praemium et triumphus» et postea instruit illos de administratione sacramentorum, et de festis diebus prout licet colligere ex illa memorabili Epistola.

20. Notum est autem tempore Mekitari (Consolatoris) Patriarchae Armeniae quanto obsequio ac reverentia coluerit Ecclesia Armena Primatum Summi Pontificis.

Dolemus quod litterae huius Patriarchae ad Clementem VI. Pontificem Rom. quas colligere facile est ex litteris eiusdem Pontificis, invenire nondum potuerimus. Sed operae pretium erit afferre aliquas partes Epistolae eiusdem Pontificis ad praedictum Patriarcham missae de Primatu Apostolicae Sedis; cum vero Patriarcha Armenus libenter hanc Doctrinam a Summo Pontifice Clemente VI. explicatam, tamquam suae Ecclesiae traditionem accepisset, facile inde colligitur fides de hac re totius Ecclesiae Armenae. Haec itaque dicit Rom. Pontifex in praecitatis suis litteris ad Consolatorem Catholicon (1): « In primo igitur » capitulo responsionis tuae, in quo pro fundamento ipsius » catholicae fidei praemittis, quod tu et Ecclesia Armeno-» rum, quae tibi obedit, creditis et tenetis, promittitis te-» nere, et dicitis tu et tota Ecclesia Armenorum tibi obe-» dientium, quod eadem Ecclesia Romana, cuius Sum-» mus Pontifex est Papa Romanus, est sola Catholica, » et in ea sola est vera salus et una vera fides, et unum » verum baptisma, et vera remissio peccatorum; quae-» rimus. Primo, si creditis tu et Ecclesia Armenorum,

(1) Raynal. Tom. VI. ad ann. 1351. pag. 528.

*

» quae tibi obedit, omnes illos, qui in baptismo eandem
» fidem catholicam receperunt, et postmodum a commu-
» nione fidei eiusdem Ecclesiae Romanae, quae una sola
» Catholica est, recesserunt, vel recedent in futurum,
» esse schismaticos et haereticos, si pertinaciter divisi
» a fide ipsius Romanae Ecclesiae perseverent. Secundo
» petimus, si creditis tu et Armeni tibi obedientes, quod
» nullus homo viatorum *extra fidem ipsius Ecclesiae et*
» *obedientiam Pontificum Romanorum poterit finaliter sal-*
» *vus esse.*

» In secundo vero capitulo dicis *te credere et tenere*
» *quod solus Pontifex Romanus habet plenitudinem pote-*
» *statis, quam Beatus Petrus Apostolus habebat, et quod*
» *ipse Pontifex Romanus solus est universalis Christi Vica-*
» *rius; et quod tu Catholicon Armenorum es et esse debes*
» *obediens Pontifici Romano,* propter hanc tamen obedien-
» tiam non vis te vel tuam Ecclesiam in aliquo minorare
» vel perdere, nec diminuere gratias, libertates, curas,
» dioeceses, iura et potestatem iubendi omnibus Arme-
» nis, quae tui praedecessores et Ecclesia Armenorum
» receperunt et tenuerunt ab ipsa Romana Ecclesia; immo
» deprecaris, quod tibi et Ecclesiae tuae praedictis re-
» manentibus, nos qui sumus Romanus Pontifex, accre-
» scere faciamus libertates et iura tua, et tuae Ecclesiae,
» quantum secundum Deum fieri potest, ad nostri me-
» moriam sempiternam. Iterum dicis, te credere et te-
» nere, *quod antistites de Catholica et apostolica Ecclesia*
» *debent esse obedientes Romano Pontifici,* quia Christus
» plenitudinem potestatis dedit Beato Petro pro se et pro
» locum tenentibus eius. Item dicis, te credere, quod
» quilibet Pontifex Romanus, qui summus est, praete-
» ritus, praesens, et futurus, erat, est, et erit locum-

» tenens Beati Petri; quia fuit et est et erit immediate
» universalis Christi Vicarius. Item promittis quod quan-
» tum in te erit, facere curabis omnes sudditos tuos ec-
» clesiasticos et saeculares praedicta omnia et singula
» firmiter credere et tenere, super his ergo quaerimus.
» Primo, si credidisti, credis vel credere paratus es cum Ec-
» clesia Armenorum, quae tibi obedit, quod Beatus Petrus
» plenissimam potestatem iurisdictionis acceperit super
» omnes fideles christianos a Domino Iesu Christo et *quod*
» *omnis potestas iurisdictionis,* quam in certis terris et
» provinciis, et diversis partibus orbis specialiter et parti-
» culariter habuerunt Iudas, Thadaeus et caeteri Apostoli,
» *subiecta fuerit plenissime auctoritati et potestati, quam*
» *super quoscumque in Christum credentes in omnibus parti-*
» *bus orbis beatus Petrus ab ipso Domino Iesu Christo acce-*
» *pit;* et quod nullus Apostolus, vel quicumque alius super
» omnes Christianos, nisi solus Petrus plenissimam po-
» testatem accepit. Secundo si credidisti, tenuisti, vel
» credere ac tenere paratus es cum Armenis tibi subie-
» ctis, quod omnes Romani Pontifices, qui beato Petro
» succedentes canonice intraverunt et canonice intrabunt,
» ipsi beato Petro Romano Pontifici successerint et suc-
» cedent in eadem plenitudine iurisdictione potestatis,
» quam ipse beatus Petrus accepit a Domino Iesu Chri-
» sto super totum et universum corpus ecclesiae militan-
» tis. Tertio si credidistis et creditis tu et Armeni tibi sub-
» iecti, Romanos Pontifices, qui fuerunt, et nos qui sumus
» Pontifex Romanus, ac illos qui in posterum successive
» erunt, tamquam legitimos et potestate plenissimos Chri-
» sti Vicarios, *omnem potestativam iurisdictionem,* quam
» Christus ut caput conforme in humana vita habuit,
» *immediate ab ipso Christo super totum ac universum*

» *corpus militantis ecclesiae accepisse.* Quarto si credidisti
» et credis, quod omnes Romani Pontifices qui fuerunt,
» nos qui sumus, et alii qui erunt in posterum, *ex ple-*
» *nitudine potestatis et auctoritatis praemissae potuerunt,*
» *possumus, et poterunt immediate per nos et eos de omni-*
» *bus tamquam de iurisdictioni nostrae ac eorum subditis*
» *iudicare, et ad iudicandum quoscumque voluerimus ec-*
» *clesiasticos iudices constituere et delegare.* Quinto si cre-
» didisti et credis, quod in tantum fuerit, sit, et erit
» suprema et praeeminens auctoritas et iuridica potestas
» Romanorum Pontificum, qui fuerunt, nostri qui sumus
» et illorum qui in posterum erunt, *ut a nemine iudicari*
» *potuerint,* potuerimus, neque in posterum poterunt; *sed*
» *soli Deo iudicandi servati fuerint,* servemur, et serva-
» buntur: et *quod a sententiis et iudiciis nostris non po-*
» *tuerit, neque possit, nec poterit ad aliquem iudicem alium*
» *appellari.* Sexto si credidisti et adhuc credis, plenitudi-
» nem potestatis Romani Pontificis se extendere in tantum
» quod *Patriarchas, Catholicon, Archiepiscopos, Episcopos*
» *Abbates, et quoscumque praelatos alios de dignitatibus, in*
» *quibus fuerint constituti, possit ad alias dignitates ma-*
» *ioris vel minoris iurisdictionis transferre,* vel exigentibus
» eorum criminibus, *ipsos degradare et deponere excom-*
» *municare et satanae tradere.* Septimo si credidisti et
» adhuc credis, pontificalem auctoritatem non posse nec
» debere subiici cuicumque imperiali et regali, aut alteri
» seculari Potestati, quantum ad institutionem iudicialem
» correctionem, vel destitutionem. Octavo si credidisti et
» credis Romanum Pontificem solum posse *sacros gene-*
» *rales canones condere,* plenissimam indulgentiam dare vi-
» sitantibus limina Apostolorum Petri et Pauli, vel ad
» terram sanctam accedentibus aut quibuscumque fideli-

» bus vere et plene poenitentibus et confessis. Nono si
» credidisti et credis, omnes, qui se contra fidem Roma-
» nae Ecclesiae erexerunt et in finali impoenitentia mortui
» fuerunt; damnatos fuisse et ad perpetua infernorum
» supplicia descendisse. Decimo si credidisti et adhuc
» credis Romanum Pontificem circa administrationem sa-
» cramentorum Ecclesiae, salvis semper illis, quae sunt
» de integritate et necessitate sacramentorum posse diver-
» sos ritus Ecclesiarum Christi tolerare, et etiam concedere
» ut serventur. Undecimo si credidisti et credis, Armenos
» qui Romano Pontifici in diversis partibus orbis obediunt
» et formas et ritus Romanae Ecclesiae in administratione
» sacramentorum, et in ecclesiasticis officiis, ieiuniis et
» aliis caeremoniis studiose et cum devotione observant,
» *bene agere,* et illa agendo vitam aeternam mereri. Duo-
» decimo si credidisti et credis, neminem de dignitate epi-
» scopali ad archiepiscopalem, *patriarchalem vel catholi-*
» *cum posse transferri auctoritate propria,* nec etiam aucto-
» ritate cuiuscumque principis secularis, sive rex fuerit sive
» imperator, vel quicumque alius fultus qualicumque po-
» testate et dignitate terrena. Tertiodecimo si credidisti et
» adhuc credis, solum *Romanum Pontificem, dubiis emer-*
» *gentibus circa fidem catholicam, posse per determinatio-*
» *nem authenticam, cui sit inviolabiliter adhaerendum, finem*
» *imponere et esse verum et catholicum quidquid ipse au-*
» *ctoritate clavium sibi traditarum a Christo determinat esse*
» *verum*: et quod *determinat esse falsum et haereticum sit*
» *censendum.* Quartodecimo si credidisti et credis novum
» et vetus Testamentum in omnibus libris, quos Romanae
» Ecclesiae nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam
» per omnia continere. »

Cum ergo Mekitar Patriarcha has litteras recepisset, il-

lico Iacobum Patriarcham suum praedecessorem qui Patriarchatui renuntiaverat, Romam misit, quique nomine eiusdem Patriarchae ac totius Ecclesiae Armenae Primatum Apostolicae Sedis et iura eius omnia et privilegia prout in interrogationibus Summi Pontificis continebantur aperte professus est (1).

His omnibus quae huc usque adduximus, rursus palam conficitur Ecclesiam Armenam non solum Romanae Ecclesiae et Rom. Pontificum Summum Primatum et supremam auctoritatem in Ecclesiam per universum orbem diffusam agnovisse, sed et iudicia eorum et decreta solemnia de fide et morum negotiis tamquam irrefragabilia veneratam esse.

21. Anno vero 1440 Gregorius Catholicus mittebat ad Eugenium IV. Pontificem per fratrem Albertum litteras (2) de Concilio Florentino et haec in eiusdem litteris leguntur: « Noverit Sanctitas Tua pervenisse ad nos *altissimum sermonem* litterarum tuarum *instar solis resplendentis et stellae ac serenissimo coelo similem et tamquam aurum pretiosum ex animo immaculato sensibus quidem procedens*. Pater Sancte, bene te video esse vere *principalem veritatis pastorem et ordinatorem Catholicorum iuxta ritum praeteritorum Patrum.* »

22. Sed iam opus est ad alia progredi. Et in primo praestat praeclaras litteras Michaelis Catholici Armeniae ad Summum Pontificem Pium IV. missas hic referre. Patriarcha iste anno 1564. 20 mensis Martii mittebat suas litteras, quarum initium: « A porta Ecimiazin » (3), ubi postquam postulasset renovationem foederis inter S. Syl-

(1) Hist. Mekitar Abaranensis ex ordine unitorum.
(2) Mansi suppl. Tom. V. pag. 211.
(3) Raynaid. ad an. 1564. §. 51.

vestrum Papam et S. Gregorium Armeniae Illuminatorem, et ideo misisset illi exemplar eiusdem foederis, quod dicit « scriptum fuisse sanguine Christi pretioso in aeter- » num inviolabili » per Abgarum suum Nuntium ita loquitur: « Nos autem omnes obedientes sumus Sanctitati » Tuae ac verbo tuo; *quidquid enim ei praeceperis, nos* » *devote suscipiemus usque in diem Christi velut Conda-* » *cium (foedus praefatum)...* »

23. In fidei professione vero quam Abgarus Nuntius nomine Patriarchae praedicti et Ecclesiae Armenae protulit haec leguntur: « Tu quidem *quatuor partium mundi Pon-* » *tifex Maximus es,* quidquid solveris erit solutum, et » quidquid ligaveris erit ligatum: ne quaesumus respicias » delicta et peccata captivorum, sed absolve nos et nu- » mera in gregibus tuis fidelibus, *veterem et devotionem* » *et obedientiam erga Sanctam Romanam Ecclesiam reno-* » *vans,* nos enim sumus Sanctitatis tuae servi inutiles... » Hoc autem tenemus de delinquentibus ligatis seu ex- » communicatis, quod si quis sacerdos, Episcopus, Ar- » chiepiscopus, vel Catholicus aliquem delinquentem li- » gaverit, vel excommunicaverit, et defunctus fuerit, non » absoluto delinquente, quem vivens ligaverat, hunc qui » ligatus seu excommunicatus fuerat, nullus successorum » qui delinquentem ligaverit seu excommunicaverit pos- » sit absolvere, *nisi solus Summus Pontifex Romanus ad* » *quem secundum Canonem nostrum mittimus* hunc flentem » quem poenitet delicti sui, cum litteris quibus excom- » municatus fuit, ad absolvendum et *ad scindendas hu-* » *iusmodi litteras, tibi enim soli licet eum absolvere* et con- » scissis litteris quibus est ligatus, ad Ecclesiam nostram » remittere *per Doctrinam S. Gregorii Patriarchae nostri* » et postea: « Primum quidem Patriarcham nostrum fuisse

» dicimus S. Gregorium qui primus venit Urbem Romam,
» quem S. Sylvester *benedixit et consecravit* tempore Con-
» stantini Imp. et regis nostri Tiridatis. Item confitemur
» Christum dixisse S. Petro Apostolo – pasce oves meas –
» pro quo etiam orasse *ne umquam deficiat fides sua,* qui
» autem ex nobis *non confitetur Sedem Petri* esse maiorem,
» ac Dominum Pontificem Romanum *Caput* et *Pastorem*
» *esse totius mundi, claviumque possessorem, is et evangelia*
» *et Hierusalem et Sedem Gregorianam Ecimiazin negat.*
» Parce Beatissime Pater mihi peccatori qui ita breviter
» fidem Armenorum...nominavi, quia numquam decet lu-
» cernam ponere *ante solem, quia tu es sapiens omniaque*
» *sciens.* »

Ex his quae in praedictis litteris et fidei professione leguntur luculenter ac invicte eruitur Patriarcham Michaelem Primatum S. Romanae Sedis ita plene agnovisse, ut omnimodam suam obedientiam illi praestaret, et verbum Rom. Pontificis ita veneraretur, ut foedus S. Sylvestri sanguine pretioso I. C. exaratum dicat. Nota etiam quod idem Patriarcha testatur veterem esse in Ecclesia Armena hanc devotionem et obedientiam erga Petri Sedem ; expositio autem canonis a S. Gregorio Armeniae Illuminatore prolati de non absolvendo excommunicato nisi a Rom. Pontifice, luculenter ostendit vim ac virtutem quam in Primatu Rom. Pontificis recognoscebat Armena Ecclesia inappellabile ac ultimum Supremum tribunal Sedem Petri profitendo; de indefectibilitate autem fidei Petri Sedis iterum Patriarcha Armenus in Professione fidei verbis Christi mentem suam aperit, ita ut si quis Armenus non ita crederet et Rom. Pontificem *totius mundi caput* et *Pastorem* non profiteretur, ab Ecclesia Armena reiiceretur. Qua autem reverentia et quo obsequio et humillimis

sensibus Rom. Pontificem Patriarcha Armeniae revereatur, a tota epistola et fidei professione palam eruitur, *seipsum lucernam, Romanumque Pontificem solem* appellando.

24. Hic vero operae pretium erit afferre etiam luculentissimum testimonium Summi Pontificis Gregorii XIII. (1), qui in sua Bulla «Romana Ecclesia» anno 1584. III. idus Octobr. de erectione Collegii Armeni, quae proh dolor! ob repentinam mortem Pontificis effectum non obtinuit, *sic de vetustissima devotione Armenae gentis et Patriarcharum Armeniae ad Rom. Sedem testimonium praeclarum affert:* « Sane Armeniorum gens numero amplissima ac prope » infinita, *antiquitate et nomine celeberrima, Christianae » religionis studio et constantia supra universos Orientis » populos laudatissima*, cum initio nascentis Ecclesiae, » gloriosis Apostolis Bartholomaeo et Thadaeo docentibus, » evangelicam degustasset fidem, ac deinde beati Syl- » vestri Pontificis et Constantini Magni Imperatoris tem- » pore, publico omnium consensu, una cum Rege suo » Tiridate (ita videtur dicendum) ut apud eos traditum » est, recepisset, *adeo pie et religiose illam deinceps co- » luit; ac tanta praeterea veneratione Pontificem Romanum » omni tempore est prosecuta, ipsum scilicet Verum Christi » Vicarium, beati Petri Successorem, Ecclesiaeque Catholicae » caput fatendo, eius doctrinam disciplinamque sequendo, » ac in omnibus se suosque Patriarchas Apostolicae Sedi » subiiciendo,* quemadmodum in Generali Concilio Floren- » tino sub Papa Eugenio huius nomine IV. missis illuc » praelatis ac procuratoribus suis, non obscure testatum » reliquit, *ut merito nobis Sedique Apostolicae charissima » et acceptissima esse debeat.*

(1) Bullar. Rom. tom. VIII. pag. 493. Edit. Taurin. an. 1863.

» Et vero inter alia eiusdem nationis de Ecclesia re-
» publicaque Christiana merita, illud praecipuum ac sin-
» gulari memoria dignum est, quod principibus exerci-
» tibusque christianis saepius olim ad recuperationem
» Terrae Sanctae proficiscentibus, *nulla natio, nullus po-*
» *pulus promptius alacriusque eis suppetias tulit, quam*
» *Armenii,* qui viris, equis, armis, commeatu, consilio ac
» deinceps omni ope Christianos sacro illo bello *fortis-*
» *sime ac fidelissime* iuvarunt. Postquam vero teterrimae
» servitutis iugum subire coacti sunt, id quod gravissimo
» cum dolore referimus, nulla illi dominantium vi ac fe-
» ritate, nullis acerbitatibus, nullis iniuriis, nullis op-
» pressionibus de Christianae religionis cultu, et obser-
» vantia ac Apostolicae Sedis obedientia demoveri potue-
» runt et si qui errores inter eos irrepserunt, id non
» pravae aut perversae eorum voluntati seu naturae,
» sed temporum iniuriae et calamitati omnino adscribendi
» sunt. »

25. Post haec praestat proferre hic aliquid ex praeclara illa epistola quam Chaciadur Patriarcha Ciliciae anno 1575 scripsit ad eundem Summum Pontificem Gregorium XIII. (cuius autographum exemplar extat in Bibliotheca Vaticana Cod. II. pag. 54) in qua haec leguntur: « A Domino Chaciadur Catholicon et ab Azaria Magno
» Doctore litterae affectionis et osculum sanctitatis tibi Bea-
» tissime Pater, Maximo Papae Romae, *forti et vigili*
» *Pastorum Pastori, capiti electo boni gregis, qui es lo-*
» *cum tenens Principalium Apostolorum Petri et Pauli* qui
» sunt gloria omnium Christianorum, praesertim afflictae
» nationis Armenae, spe nitimur et precamur a Deo cle-
» mente, et misericorde, ut in pace conservet te, qui es *fax*
» *inextinguibilis* ad gloriam nostram et omnium Christia-

» norum. Tu es imago depicta a Deo creatore, et habes » in te omnes gratias spirituales...*tu ut fons semper sca-* » *turiens*, a qua creaturae bibunt, tu accipis lucem a » sole, e luce *inobumbrabili resplendes, purum et optimum* » *argentum* et *mundatum lucidum vas*, *tu fax escande-* » *scens et numquam extinguens*, *dispergis tenebras*....tu » cedrus, cypressus, arca constructa a ligno *non putres* » *faciente*, tu arbor frondifera vitae quem protegit Seraphim » tremendus.» Hae omnes metaphoricae locutiones Patriarchae Armenorum eo tendunt ut vehementiori ac uberiori quo posset modo firmissimam et ineluctabilem suae mentis persuasionem de indefectibilitate fidei Rom. Pontificum patefaciat. Quid enim significat *fax non extinguescens* et *tenebras dissipans*, quid fons *semper* scaturiens, quid *lux inobumbrabilis a sole emanans*, quid tandem exemplum cedri et cypressi et arcae a ligno constructa quod *incapax* est putrefactionis, quid tandem *arbor vitae* a Seraphim custoditus, nisi fidem Sedis Petri et Romani Pontificum indefectibilem esse et omnes Ecclesias illuminare et haeresum tenebras dissipare, et universam Ecclesiam sua vita sustentare?

26. Nunc vero iuvat aliquid ex Epistola Azariae Patriarchae Ciliciae ad eundem Dominum Gregorium XIII. Papam data afferre. Plurimas Patriarcha optimus scripsit litteras ad Pontificem Romanum; nobis aliquid ex iis exhibere sufficiat. In sua epistola ergo scripta ad dictum Summum Pontificem Gregorium XIII. anno 1585 die 10 Aprilis (1) haec leguntur: « Ad Sanctissimum et Beatum Patrem » Patriarcham et Dominum nostrum Gregorium divina Pro- » videntia Papam Romae et omnium Christianorum mundi.

(1) Bibliotheca Vaticana Cod. Armen. II. pag. 32.

» Tibi qui es gloria gloriarum supra sedem sanctam et » apostolicam Divi Petri, *veneratissimum et honorabile ca-* » *put fidei,* sanctus Papa, *similis identicus,* et forma eius- » dem Apostoli, *Ordinans leges Canonicas,* distributor et » custos infiniti Thesauri, Successor Sanctorum Apostolo- » rum, et ornatus sanctitate primorum SS. Patrum, et » *sacerdotali principalitate sedens gloriose in throno et ca-* » *pite Ecclesiae Latinae, tamquam praeclara stella*...tu au- » ctus et omni perfectione in altissimo isto gradu, ter » beatus, caput electum fuisti, et tamquam navis por- » tans pretiosas merces in medio maris huius mundi » agitati undique a tempestatibus quas suscitat Diabolus » incessanter per tot tantasque tentationes per Dei per- » missionem, quasi undas super undas admovens vellet » agitare et percutere eam, sed *tu per Dei sollicitudi-* » *nem provisus per angelorum turbas custoditus et con-* » *ductus et fidei gubernaculo ductus et gubernatus, et alis* » *S. Spiritus volans inerrabiliter et velociter properas ad* » *verum portum, et divinum depositum intactum rema-* » *net*... »

« His meis litteris testimonialibus mitto vice mea fra- » trem meum Ioannem Doctorem Episcopum.....qui pro- » volutus ad pedes Beatitudinis tuae omni obedientia et » humilitate se subiiciet sanctae Catholicae et Apostolicae » Ecclesiae Romanae nomine meo et omnium Episcopo- » rum et sacerdotum et populi mei, et adprecamur tuam » sanctam et apostolicam benedictionem et *confirmationem* » *nostri Patriarchatus* et insignia Catholicatus et omnes » gratias quae decernuntur praedecessoribus nostris et » aliis Catholicis. Ne admiretur Sanctitas Tua, quod plu- » rimi nostri praedecessores non adimpleverunt *hoc de-* » *bitum et hunc sanctum et bonum canonem colendi San-*

» *ctam Romanam Sedem, et profitendi eam matrem et ma-*
» *gistram* quia pluries impediti fuerant, propter bella et
» longitudinem itineris....*Ecce invenimus libros maiorum*
» *nostrorum de obedientia Catholicorum et Patriarcharum*
» *nostrorum ad Pontificem Romanum, quomodo S. Grego-*
» *rius Illuminator obediens fuit S. Sylvestro Papae*...et
» cum Aleppi eramus, Episcopus Sydonensis....protulit
» nobis Professionem fidei....et quia haec professio ex-
» pedita est *a Tua Sanctitate et a Sancta Romana Ca-*
» *tholica Apostolica Ecclesia, quae enutrita est a S. Spi-*
» *ritu et non potest errare, eam accepimus et supra oculos*
» *et caput nostrum posuimus, et legimus omnibus Episcopis*
» *et Sacerdotibus et populis nostris*.... Scriptum fuit in Sis
» an. 1585. 10. Aprilis die Sabati. »

27. In professione autem fidei quam emisit idem Patriarcha cum plurimis aliis Episcopis et Doctoribus haec leguntur: « Et teneo et profiteor S. Sedem Apostolicam et
» Summum Pontificem Romanum habere potestatem in
» universum mundum et Romanus Pontifex est succes-
» sor Divi Petri Principis Apostolorum et verus Vicarius
» Christi, et Caput omnium Ecclesiarum *et Pater et Ma-*
» *gister omnium Christianorum, cui data est plena pote-*
» *stas in persona B. Petri a Domino nostro I. C. pascendi*
» *et curandi universalem Ecclesiam Catholicam,* et confi-
» teor *quod necesse est conservare hanc unitatem Eccle-*
» *siae ita ut si quis fuerit extra hanc Catholicam Eccle-*
» *siam, non possit habere partem in vita aeterna. Item*
» *voveo prout obediens filius obedire omni fidelitate manda-*
» *tis, edictis, censuris et canonibus Sanctissimi Domini*
» *mei Papae Gregorii Divina Providentia XIII. et legiti-*
» *mis successoribus in ea Sede*...»

« Ego Azarias Catholicon... » Hanc eandem fidei pro-

fessionem emiserat postea anno 1592. sub die 15. Iunii Mardanus Patriarcha Achtamariensis (1).

28. Ecce quid sentit de Rom. Pontifice optimus Armeniae Patriarcha Azarias, quem pervadere non potuerant cavillationes in Occidente prolatae contra iura Primatus. Azarias Patriarcha veterem suae Ecclesiae et constantem repetens traditionem, universam Episcopalem Rom. Pontificis auctoritatem agnoscebat, venerationem veram et sinceram tamquam Christi Vicario illi et Legato eius praestabat et mandata eius et edicta, et censuras et canones utpote divina oracula recipiebat quin Orientis et Occidentis distinctiones in medium afferret, seque obligatum fatebatur debito visitandi Sacra limina Apostolorum Petri et Pauli, et praestandi Rom. Pontifici veram et filialem obedientiam. Quin etiam praeclare praedicabat talem esse vim et virtutem Primatus Sedis, ut ab ea tota Ecclesia reciperet fidei firmitatem ac indefectibilitatem, ut ipse Rom. Pontifex fidei gubernaculo totam navem per Spiritus Sancti adsistentiam in tutum portum conduceret et professio fidei Romanae Pontificis Sanctaeque Ecclesiae Romanae inerrabilis esset; has autem omnes veritates non se tantummodo praedicare, sed a vetustissimo tempore Ecclesiam suae gentis easdem professam fuisse, quod a libris in sui Patriarchali Tabulario existentibus comprobari testabatur. Quid clarius, quid nitidius requiri posset de fide Armeniacae Ecclesiae in hac re post ea quae huc usque attulimus?

29. Sed nullimode oportet omittere alias litteras alterius Patriarchae Armeniae qui Melchisedechus nominatur, quique anno 1610. litteras ad Paulum V. Rom. Pontifi–

(1) Biblioth. Vatican. Cod. Arm. II.

cem mittens (1) ita devotos animi sui sensus omnino exprimendos censebat: « Ego Melchisedech Patriarcha Ar-
» menorum in loco S. Gregorii Magni Martyris cum in-
» genti desiderio cordis scribo litteras amoris et saluta-
» tionis desiderato cunctis Christianis Supremo et glo-
» rioso Papae Romano, Beato et Magnifico Paulo V. re-
» sidenti in Sede Apostolica *confirmato super Petram im-*
» *mobilem manibus Patris aeterni et Filii qui dixit:* tu
» es Petrus... qui ceciderit super lapidem istum confrin-
» gatur, super quem vero ceciderit, conteret eum. Haec
» Petra postquam universum Orbem circumivisset, ceci-
» dit in Occidente, plena suavitatis divinae et adoratio-
» nis et recti cultus et fidei, exaltata in veneranda Urbe
» Romana, illuminata a duobus maioribus luminariis
» diei et noctis dominantibus, *Sole S. Petro Petrae fidei,*
» *et Luna* S. Paulo praedicatore gentium, exploratore ter-
» tii coelorum et inspectore. Quod cum ita sit, revera o
» Beate Sancte Pater tu laudis et gloriae summam obti-
» nuisti, similis coelo variis luminibus illustrissimo, et
» omnibus ornamentis perfecto, ante cuius gloriae Maie-
» statem quomodo nos possumus comparere? Nihilominus,
» quamvis fragiles et infirmi, et abiecti simus, sacrosan-
» ctam bonitatem gloriae vestrae alloquemur.

» Quemadmodum coelum habet duo luminaria, ma-
» gna, nobilia, solem in potestatem diei, et lunam in po-
» testatem noctis, eadem similitudine vos potestate spi-
» rituali, *velut sol omnes Ecclesias illuminatis, et filios Ec-*
» *clesiastici luminis procreatis*, ut cum aurora illuxerit, et
» sponsus de thalamo suo advenerit ad ipsum cum grege
» illustrato conscendatis.

(1) Bzovius Rom. Pont. pag. 202.

» Et sicut sol luce splendida lunae et stellarum tenebras depellit, illasque lucidas efficit, ita Vos, o Rex potentissime potentiam malignantium et tenebrosas cohortes infidelium cura splendidissimae pacis, qua exornatis Ecclesiam.

» Et quemadmodum coelum ingentis luminis solem, et amplissima duo elementa terram ac mare nec non quatuor anni partes complectitur, sic et Vestra gloriosa excellentia coelorum instar quatuor orbis *Climata amplectitur et recte administrat.*

» Et sicut sol ad instar molae volubilis, rotatur in circulo duodecim animalium effigiebus, signifero, eminentior inter stellas errantes supra quas revolutione perpetua numerat dies, et annos usque ad diem quando advenerit Dominus, ita et vos cum XII. Cardinalibus, et duodecim Christianorum nationibus et *septem donis S. Spiritus, nec non septem Sacramentis Ecclesiae perseverabitis usque ad diem,* quo vobis Dominus apparebit.

» Et velut sol numquam sistitur, sed assidua conversione immensae celeritatis cursum suum continuat usque ad extremum mundi diem, *ita et vos constanti splendidaque sanctitate in vita recta usque ad finem.*

» Et sicut sol reliqua sidera ducit et regit, lucemque suam coeteris foenerat, *ita et vos* pura et immaculata sanctitate multitudinem congregationis *Fidelium illustratis, et ad voluntatem Creatoris conducitis.*

» Et quemadmodum sol inter arcticum et antarcticum vertices, et quos appellaverunt, polos irrequieto ambitu, inenarrabili celeritate volvitur, ita vos duo testamenta legis religionis, et pietatis Christianae fundamenta posuistis, et exemplo vestro omnes ad amorem Christianae fidei militatis.

» Et sicut sol quandoque attollitur, quandoque de-
» primitur, ita et vos ab excellentissima vestra gloria
» usque ad minimos ignobiles, et pauperes inclinatis et
» ab hac demissione exaltationem meretis, sicut et a
» principio Dominus I. C. operatus est, atque docuit di-
» scipulos suos dicens: qui se humiliat exaltabitur. Et
» velut sol nubibus et turbine commovet undas pelagi et
» inde tamquam in sinum congregat nubes, easque vento
» in altum elevat, et calore in pluviam dissolvit, qua
» aridam terram, et quidquid in ea arborum, frugum, ac
» florum est, perfundit, abluit, innotat: ita vos splendore
» Sanctitatis vitae Deo placentis, et ad summum perfectae,
» lucetis instar nubis a Sole irradiatae, et a monente
» Spiritus Sancti inspiratione *immersi in profundo oceano*
» *Divinae Sapientiae et intellectus Verbi Divini obtinui-*
» *stis; quam cooperante fortitudine dono Spiritus Sancti*
» *abunde diffundentes aquam vivam,* irrigatis et inundatis
» corda hominum sitientia salutis, nec non sanctitate vi-
» tae et divini cultus studio ornatis et fructificare facitis
» universum mundum fructibus virtutis.

» Et quemadmodum sol est principium vitae huma-
» nae, et omnium viventium, *sic et vos Petra viva vivi-*
» *ficantis fidei in Sede collocata, vitae originem omnibus*
» *fidelibus praebetis, cum in sinu Vestro omnes Christia-*
» *norum generationes congregantur* sicut scriptum est: su-
» per hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

» Et sicut ille unicus unico Orbe et candore univer-
» sum mundum illuminat nec non omnium animata et
» inanimata continet, movet, mutat, adeo ut omnibus im-
» perare videatur, *ita et vos unus unicus potestate suprema*
» *Pontificia Apostolicae Sedis, omnibus Christianis cum*
» *potestate praeestis, omnes in imperio continetis; quod uni-*

» *versus mundus agnoscit et omnes fidelium nationes Vobis* » *obsequuntur, nec est qui Vestrae sapientiae et voluntati* » *contradicat, cum Deus Vobis dixerit: Pasce oves meas.*

» Et sicut sole nihil est inter creaturas non viventes » sublimius, qui Deum tantum, et coelum empyreum su- » per se habet, ita inter omnes mortales *nullus est vobis* » *superior, sed omnes Vestrae potestati subiiciuntur* sicut » dixit Dominus: Tibi dabo claves regni coelorum.

» Et sicut ille quamquam non vocalis, non tamen » cessat enarrare gloriam Dei, qua universus mundus in » illum aspiciens, dat gloriam Deo creatori suo, cui genua » flectit sicut dictum est : coeli enarrant gloriam Dei ; » *sic et Vos Vestra clarissima ac* INDEFICIENTI *Fide ad mi-* » *raculum usque omnibus generationibus perspicua eo quo* » *intellectus humanus et totus chorus sacerdotum non per-* » *tingit, vocali professione fidei attingitis, inter omnes con-* » *fitentes:* tu es Christus Filius Dei ; meruistis tunc be- » nedictionem oris benedicti, qui vobis dixit: beatus es » Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit » tibi sed Pater meus qui in coelis est.

» Et quemadmodum ille omnibus partibus suis vergit » in sese, seque includens et continens orbis figura, » universa creata roborat adversus interitum, sic et Vos » perfecta Vestra charitatis dulcedine, curatis omnes gen- » tes *in unitatem fidei congregare , et contra omnia peri-* » *cula confirmare,* ut sit unum ovile et unus pastor.

» Et sicut ille integritatem creaturae, luminis et can- » doris, sicut a principio conditus est, retinet, sic et Vos » animam vestram ad imaginem Dei formatam, et ad » similitudinem sanctitatis eius conformatam, luce splen- » didissima in baptismate perfusam, *fide et virtutibus il-* » *lustrissimam,* in his mundi mutationibus *immaculatam*

» *servatis, neque umquam mutastis formam sanctitatis im-*
» *pressam eadem puritate mentis Deo placentis.*

» Et velut solis lux dulcis est oculis intuentium, et
» suavis mentibus admirantium , sic et vester aspectus
» desiderabilis cunctis gentibus , recreat splendore san-
» ctitatis vitae omnes qui vident , et desiderant videre.

» Et quemadmodum orbis , quo sol fertur , continet
» paradisum terrestrem, et arborem fructus vitae veracem,
» ab omnibus generationibus expetitum, sic et Vos luci-
» dum Dei templum, Apostolicae dormitionis monumen-
» tum , Sanctorum in Christo quiescentium coemeterium;
» nec non lignum vivificum Dominico sanguine imbutum,
» quod profert, et olim protulit fructum vitae immortalis
» cibum , qui de coelo datum est in salutem.

» Et sicut sol splendidissimus ardentes et clarissimos
» innumerabiles radios effundens, rapit in admirationem
» sui omnes homines et incitat ad laudes Deo persol-
» vendas, sic et Vos tantam filiorum in Christo renato-
» rum multitudinem, quanto non potest numerari, Ecclesiae
» protulistis, secundum quod Deus vobis promisit: mul-
» tiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, et sicut are-
» nam quae est in littoribus maris.

» Et velut ille est quasi gloriae Dei tabernaculum, quo
» invisibile lumen suum abscondit , redegit , *ita et Vos*
» *fide Vestra orthodoxa illam lucem, quae omnem hominem*
» *venientem in hunc mundum illuminat,* quod nullus hu-
» manus intellectus potest comprehendere, idest mysterium
» Verbi Dei incarnati, quasi tentorio lucidissimo texitis,
» et tegitis, quia dictum est: Deum nemo vidit umquam,
» Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit,
» quemadmodum ipse Verbum caro factum, incarnationis
» suae temporibus Petro revelavit.

» Et quemadmodum coelum solis est porta, Domus » Dei, et via per quam iusti intrabunt in eam, et ostium » felicitatis, in quo Stephanus vidit Iesum Filium Dei stan- » tem a dexteris virtutis Dei, sic et Vos estis *Doctor » verae confessionis fidei mysterii incarnationis Divinae Dei, » et hominis filii Dei Iesu Christi Domini nostri, quam » dum credentibus proponitis, illos ad coeli convexum ma- » nuducitis et ad aspectum Dei veri adducitis, secundum » quod Petro Deus dixit: sequere me, et ipsi sequentur te.*

» Et quemadmodum Deo Verbo incarnato in Bethleemi » stabulo ex immaculata Virgine nascente, coeli coelorum, » laetitia inenarrabili exultaverunt, et subito facta est cum » angelo multitudo militiae coelestis laudantium Deum et » dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax ho- » minibus bonae voluntatis; sic in repraesentatione eius- » dem incarnationis Filii Dei quam in Ecclesia Vestra » amplissimo sacrario, Pontificia cum Maiestate, cum uni- » versae sacrae hierarchiae multitudine et admiranda so- » lemnitate celebratis, omnes chori Angelorum de coelo » descendentes exultant, et agminibus ministrorum al- » taris commixti canticis spiritualibus Deum collaudant » suscipientes vestram pietatem et devotionem vene- » randam.

» Et sicut orbita solaris sustinet sibi impositam luci- » dam habitationem, in qua novem chori Angelorum, et » omnes animae Iustorum conquiescunt, *sic et Vos in Ve- » stro altissimo throno omnes ordines Ecclesiasticos ad in- » star hierarchiae coelestis in Ecclesia Orthodoxa, a Vobis » dispositos et Christo institutos.*

» Et sicut ille idem orbis solis dicitur Sedes altissimi, » qui a creatore universi secundum quod praedicatur, » sedet super coelum coeli ad Orientem, sic Vestra Sedes

» Apostolica locus requiei Divinae , iuxta quod dictum » est: tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ec» clesiam meam.

» Et velut solis indicibilis est gloria , sic et Vestra » maiestas inenarrabilis, et ideo pauca haec in principio » nostri sermonis balbutiendo vobis repraesentavimus, ne » despexeritis, quamvis Vos, qui supra hanc Petram pre» tiosissimam sedetis in gloria infinita, et immensa *sitis* » *solum Rector et Gubernator coeli et terrae,* cui datae » sunt claves regni coelorum et quodcumque ligaveris su» per terram , erit ligatum et in coelis. Quod cum ita » sit, ut nemo sit quem inter mortales Deus altius, prae» terquam Vos evexerit , et in tam sublimi maiestate » collocaverit, quis terrestrium poterit umquam eminentis» simam vestram gloriam recensere...?

» *Cum igitur haec sit voluntas Dei et nobis incumbat* » *sequi voluntatem illius, ac obtemperare voci mandatorum* » *Divinorum,* atque ab obedientia sese attollere ad am» plexus dilecti Iesu Christi, *quemadmodum maiores nostri,* » *qui Deo placuerunt , fecerunt, et inter hos noster ante*» *cessor nationis Armenorum Sanctus et gloriosus Pater* » *Gregorius Magnus* Martyr , qui dilectione inflammatus » cum Rege Neophyto, et quam plurimo populo ab Oriente » in Occidentem venerunt, *adorare Petram fidei* et Apo» stolicam sepulturam, ubi confirmatus in amore Sancti » Sylvestri et Magni Constantini a succenso desiderio, quo » flagrabat, unionis commiscuit atramento tremenda my» steria corporis et sanguinis Dominici, eaque mixtione » subscripsit unioni inter has duas nationes , qua per » antiquitatem temporis dissoluta , nos cogitavimus ab » eodem amore fraternitatis incitati scribere has litteras » dilectionis Vobis, super omnia honorando Pontifici nostro

» dilecto, Patri nostro Maximo, supplicantes renovare inter
» nos charitatem antiquatam, qua de causa praesumpsi
» Vos, Pater Sancte, familiarius alloqui. Namque Christus
» istud praeceptum dilectionis fraternae inter omnes na-
» tiones quae fide Christiana coniunguntur, confirmavit di-
» cens: Fiet unum ovile et unus Pastor: atque patrem
» pro suis discipulis obsecravit: Sint unum sicut et nos
» unum sumus. Cum itaque Christus tamquam Caput
» omnium confirmaverit unionem inter membra Ecclesiae,
» quis audebit contradicere illi, et a grege ipsius se se-
» parare? Si quis porro ausus fuerit, istud proces-
» serit a lupo ferociente Diabolo, assueto ab initio
» sitire sanguinem Christianum ac bibere, et ad solam
» divisionem Christianorum attento, gnaro totius doli ar-
» tifice, et pestilentialissimi inter Christianos odii semi-
» natore, quaerente homines a dilectione seducere in ba-
» rathrum perditionis.....Vestrum est itaque Pater Sancte
» remedia humanae imbecillitati excogitare postquam *vo-*
» *bis a Christo data est suprema potestas et scientia spi-*
» *ritualium et temporalium et praeestis cum imperio uni-*
» *verso orbi. Vestrum est dispersos congregare et gregem*
» *commissum a lupo ferociente eripere.* Utinam volueritis ut
» potestis omnia efficere; *Gregorius Papa nostris tempo-*
» *ribus, Paschalis festivitatis diem designavit, et nemo au-*
» *sus fuit contradicere:* neque Vobis in tam sancto unionis
» negotio quisquam obsistet, si a supremo potestatis ve-
» strae arbitrio, immortalitatem gloriae vestrae in terra
» et in coelo ea cura quaesieritis. Quotquot fuere san-
» ctorum, omnes ab auxilio Divino praeclara facinora ges-
» serunt: istud nos Vobis adprecamur per intercessionem
» S. Dei Genitricis, et collegii Apostolorum, prophetarum
» et omnium beatorum: quid igni sitis communione haere-

» ditatis et felicitatis ipsorum in luce sempiterna. Haec
» mea praesumptio et familiaris allocutio, ne vos oro af-
» ficiat, quam sanctum desiderium et amor inflammatus
» expressit. Nam et vehementer cupio Vos aspicere, alloqui
» et pedes vestros deosculari, ceterum quod multa sint
» mihi impedimento, huic epistolae cor meum indidi, quod
» vobis misi hunc fidelem dilectum Zachariam praedica-
» torem. Ignosce mihi Pater Sancte caput spiritualis
» gloriae.....

» Scriptum 1059 iuxta supputationem Armenorum
» die 15 Maii sabbato: anno salutis 1610. »

Verba, expressiones, sensus et animus huius excellentissimi Patriarchae de Sede Petri, et de Romanis Pontificibus eorumque primatus vi et virtute tam clara ac evidentia sunt ut superflua sit de iis quaecumque explicatio: satis esset eas percurrere, praesertim phrases, quae speciali typorum forma distinguuntur, ut inde palam aperteque eruatur qua et quanta semper veneratione et obsequio Armenii Patriarchae S. Sedem Apostolicam prosequuti fuerint, et quam recte senserint de Primatu, et de omnibus praerogativis Pontificalibus. Patriarcha hic scribebat ab oris Armeniae maioris, Azaria a Minori Armenia, Mardanus a plagis maris Thospitis; omnes tamen eosdem sensus de Romana Sede exhibebant. Quid amplius desiderari potest quam quod per similitudinem solis mirifice a Melchisedech adstruitur ad ostendendum S. Romanae Sedis et Summi Rom. Pontificis summum ius Primatiale super universam Ecclesiam, et fidei eius indefectibilitatem, ita ut tota vis in omnem Ecclesiam ab eodem produci et tota lux fidei ad universos fideles ab eodem emanare asseratur?

30. Idem Patriarcha Melchisedech postquam recepit

responsum Ssmi Domini Papae Pauli V. sic denuo eidem scripsit (1): «Admirabilis, colendissime, maxime gloriosis-
» sime et summe *Princeps universalis omnium gentium,*
» *Regum, Principum, Potestatum et in universum omnium*
» *Christianorum,* qui per fidem coniugati sunt in ovili Eccle-
» siae, quae mater est totius gregis Christi, quem Christus
» Petro Principi Apostolorum commisit dicens: pasce oves
» meas. Haeres et possessor Sanctissimae Sedis, venerabilis
» Papa, Princeps Romae, gloria omnium Pontificum, qui in
» Suprema Cathedra cum summa gloria super omnes exal-
» tatus sedes, quem Deus gloriosum conservet. Ego indi-
» gnus afflictus confrater Melchisedech Catholicus Arme-
» niae in pace I. C. scripsi praesentes, et vestros pedes
» deosculor, et agnosco plenitudinem charitatis et misera-
» tionis vestrae in epistola.... quam mihi Zacharias Var-
» tabed revertens reddidit, litteras Sanctitatis Vestrae legi
» cum ingenti gaudio congaudentibus ad invicem meis coe-
» piscopis, qui in eis consolationes suavitatis et omnia
» verba ordinate disposita perspexerunt... flagitamus San-
» ctitatem Vestram, *ut si videat nos in aliquo deficere, quod*
» *nos omnium lateret, pro sua sapientia declaret et moneat,*
» cum nos pro nostra fragilitate *prompti sumus obedire*
» *non tantum in his, sed etiam omnibus dogmatibus et ri-*
» *tibus Ecclesiae Romanae,* ut sit unum ovile et unus
» Pastor. Istud desideramus ut alii etiam Christiani faciant,
» ut unum simus cor, et anima in Domino, *quod vobis*
» *pro officio Pastorali, qui estis caput Ecclesiae, convenit*
» *curare*... Scripta anno Christi 1613. die 22. Martii et
» sigillo Patriarchae Melchisedech signata.»

Ex quo evidenter fas est colligere, quod Patriarcha

(1) Bzovi. Rom. Pontificis pag. 207.

Melchisedech cum suis Episcopis denuo in his suis litteris agnoscit summum ius Primatus Rom. Pontificis, et submittit omnia magisterio eius, ut *corrigat* pro sua sapientia, et ordinet etiam in rebus *disciplinaribus et ritualibus pro suo officio pastorali.* Ex iisdem verbis autem palam eruitur qua reverentia et obsequio litteras eiusdem Romani Pontificis Patriarcha Armenus susceperit.

31. Idem Patriarcha postea ad Gregorium XV. an.1622. et ad Urbanum VIII. an. 1623. litteras humillimas dedit, denuo palam et aperte Primatum Rom. Pontificis recognoscens(1). Quod praestiterat ante illum David Patriarcha cum sex Episcopis suis scribendo ad summum Pontificem Paulum V. (2) et postea Moyses Patriarcha ad Urbanum VIII. cum subscriptione 12. Episcoporum et Iohannes Surdus et Zacharias Patriarcha Constantinopoleos, et euntes Romam perfectam eorum submissionem Rom. Pontifici professi sunt (3).

32. Anno vero Domini 1641. Cyriacus Patriarcha Constantinopoleos litteras scribebat obsequentissimas ad Dominum Papam Urbanum VIII. (4) in quibus sic alloquebatur Sanctissimum Papam: « A summo Deo constitutus » *Gubernator Domus eius magnae et universae S. Ecclesiae* » *Catholicae.... Tu vera effigies et vultus Christi quem con-* » *tinuo imitaris in crucifixione ipsius, per quem etiam adeo* » *es corroboratus ut magna potestate quasi totum Christum* » *complectaris.* Quod audacter dico et non confundar, *quod* » *sedeas in hoc mundo perinde ac Christus in throno glo-*

(1) Steph. Leh. Historiogr. Arm. Chronol. ad an. 1623.
(2) Steph. Leh. Chronol. 1605.
(3) Steph. Leh. Chronol. ad an. 1631.
(4) Bartol. ferro storia delle Missioni dei Chierici Regolari tom. I. pag. 41.

» *riae suae sedet,* ut iudex et misericors et benignus amator
» hominis quantum ad gloriam. Quia sicut ille qui est
» sedet in throno quadrato habente quatuor facies, et do-
» minatur omnibus, *ita etiam tu Dominus noster sedes in*
» *cathedra sua gubernans quatuor Evangelistas immo omnes.*
» Deinde sicut Iudex, quia videres quorundam delicta,
» iuxta arbitrium tuum partim vivificas, partim reddis
» unicuique secundum opera.... *Et ita es confirmatus ut*
» *et Ecclesiam primigenitorum in manu tua teneas, in qua*
» *ipse Dominus* Iesus in dextera magnitudinis et altitu-
» dinis sedet cum omnibus invitatis et qui sunt parti-
» cipes crucis suae Sanctae, *et claves palatiorum, Regio-*
» *num et sponsae digne possides,* quod est unum ex duobus
» compositum et pro arbitrio alios a dextris, alios a si-
» nistris collocas. O Sancte Pater Patrum et bone Pastor
» Sanctorum ovium Christi infimus servus servorum Dei
» Cyriacus *Vartabed* gratia Dei et benedictione tua Do-
» mini mei Patriarcha Constantinopoleos *sitibundus et ma-*
» *gno ardore charitatis et confectus, totus ex interno desi-*
» *derio ut te Vicarium possem videre,* et sanctae benedi-
» ctionis tuae laetificantis et coelestis esse particeps, quae
» tamquam *flumen diffunditur per universum orbem*, ma-
» xime vero quaerentibus eam cum magno affectu et corde
» humili, ad beatos pedes tuos, qui sunt in via coelesti,
» licet longinquus, tamen numquam a te separatus, cum
» omnibus meis et cum his quos habeo in potestate mea,
» me tuae sanctae benedictioni commendo. Tu itaque o
» *Caput Sanctae Ecclesiae,* qua quod deest passioni Chri-
» sti, *imples in corpore tuo quod est Ecclesia Dei....* Qua-
» propter si dignaris indignitati meae impertiri tuam San-
» ctam benedictionem et responsum, *quidquid iusseris,*
» *sum semper paratus in obsequium Domini mei sine mora.*

» Datum Uskutar (Constantinopoli) anno 1644. die » mensis novembris quinta. »

Ex praecedenti epistola Cyriaci Patriarchae non minus ac a ceteris facile colligitur eisdem sensibus esse eum inspiratum quibus omnes eiusdem gentis orthodoxi Praelati fuerunt, ita ut Rom. Pontifici non aliter, quam ipsi Iesu Christo obsequerentur ac omnem potestatem in illo agnoscentes, Cathedram Petri, non aliam nisi thronum Christi, fidem autem Rom. Pontificis, qui Christum ipsum repraesentat, indefectibilem esse nequidem dubitent. Neque minus eruitur ex eadem epistola obsequium quo Patriarcha Armenus reverenter colebat Rom. Pontificem et humillimam obedientiam suam illi praestabat.

33. Anno vero 1670 invenimus aliud Documentum quod pariter ostendit sensus Ecclesiae Armenae. Videmus enim in professione fidei emissa a Iacobo Patriarcha Ecimiazin Armenorum, qua devotione recognoscat et amplectatur Primatum Rom. Pontificis. Professio ista missa fuit ad Alexandrum VII Rom. Pontificem. Extat traductio gallica in Archiviis S. C. de Propag. Fide quae *sic* se habet: « C'est dans toute la sincerité possible sans dissimulation, » sans desein de revoquer jamais ce que je fais à present » animé uniquement par l'esprit de Vérité appuyé sur la loy » de Jesus Christ mon Sauveur fondé sur l'Evangile qu'on » prêché les personnes qui ont vu de leurs propres yeux » le Verbe, et qui ont entendu de sa bouche les paroles » de la vie; je veux dire les Apôtres, ces surintendans » de sagesse incarnée, c'est en un mot dans l'esperance » de mon salut qu'après avoir examiné avec application » la foy et la doctrine de ceux qui s'attachent au Sou» verain Pontife, je me sens obligé de la reconnaître » comme un modèle de la verité pure et de suivre la

» route que m'ont marqué par leur exemple tous ceux » qui ont vécu jusqu'à present dans cette communion, soit » dans les premiers siècles, soit dans les derniers.

» Je m'attache surtout à ce que ont enseigné les deux » Apôtres ces théologiens de premiers temps instruits » par Jesus Christ même de la manière que l'ont ensuite » expliqué les douxe pères leurs successeurs, ces mai- » stres eclairés de la vérité et ces docteurs infaillibles » de la primitive Eglise. Je m'en tiens à tout ce qu'ont » déclaré les Conciles particulierement les quatre pre- » miers c'est-à-dire le Synode de Nicée, ou plutôst cette » assemblée générale de Saints, celuy de Constantinople, » d'Ephèse et de Calcédoine. C'est ce que je professe » aujourd'huy d'une entière volonté, d'une liberté pleine » et parfaite, d'un désir ferme et inesbranlable, d'une » foy sans doute, d'une esperance désintéressée, sans » aucun retour sur moy même, et d'un amour pour mon » Dieu que je souhaite qui n'ayt jamais de fin.

» C'est dis-je ce que je professe moy Jacob humble » serviteur de Jesus Christ Evêque universel de toute la » nation Arménienne, Patriarche da la Ville de Vagarcha- » bad ville bastie par ordre expres du ciel dans les mon- » tagnes d'Arménie, ayant pour lieu naturel de ma rési- » dance le Saint et le grand siège d'Etchimiazin.

» Je professe l'année 26. de mon Patriarchat agé de » 70 ans et 4 mois, age qui n'est susceptible des motifs » d'ambition ou d'intérest. Je professe quelques moments » avant l'heure de ma mort, moments où la sincerité est » enfin de saison et dans la ville même de Constantinople » Capitale de l'empyre Ottoman, lieu hors de tout soup- » çon d'intrigue.

» Je fais donc cette profession, n'ayant et ne voulant

» avoir d'autre appuy que celui de la protection de l'E-
» glise ma sainte mère. Je la fais à la vue de ce Dieu
» clairvoyant qui perce jusque au fond des cœurs : et
» pour montrer que je ne rougis point de professer la
» verité devant les hommes entre ma nation. Je prends
» à temoins de tout ce que j'ay dejà dit et de ce qui me
» reste à dire Mgr. Gasparini Evêque de Cyzico dans l'He-
» lespont qui est ici présent en qualité de Vicaire Apo-
» stolique de la part du S. Siège et les pères de la Com-
» pagnie de Jesus, qui l'accompagnent. C'est entre leurs
» mains que je fais la profession de ma foy, ne voulant
» croir que ce qu'ils croyent. C'est pourquoy je confesse
» avec eux que l' *Eglise Romaine est la sainte Eglise qui*
» *merite à juste titre le nom de grande, de sainte, d' apos-*
» *tolique et d'universelle*. Je crois aussis que la même
» *Eglise Romaine est la plenipotentiaire de Jesus Christ sur*
» *la terre, que Rome est la capitale des habitations Chrestien-*
» *nes sur les quelles elle a un commandement absolu en*
» *qualité de maistresse des fidèles et que l'Evêque deome est*
» *la teste de tout ce grand corps*. Je crois qu'il est succes-
» seur du premier Vicaire de Jesus Christ l'apostre S. Pierre
» et que son siège merite le premier rang par dessus
» tous les autres, ayant esté esclairé par les prédications
» et consacré par la sang de S. Pierre et de S. Paul, les
» deux plus grands apostres du Sauveur.

» Je crois enfin que ce qu'il lie ou ce qu'il delie sur
» la terre est en meme temps lié ou delié dans le ciel,
» que ceux que l'Eglise Romaine reconnait en ce monde
» icy pour ses enfans, sont aussitost reconnus au ciel dans
» la même qualité et ceux qu'elle rejette et qu'elle aban-
» donne, meritent d'estre rejettés et abandonnés du ciel
» et de la terre.

» Ainsi je veux suivre l'exemple de tous ceux qui vouent » une fidèle obeissance à l' Eglise Romaine cette Eglise » véritablement grande, Sainte, Apostolique et universelle. » Je les reconnais, les honore et les aime des cette vie com- » me mes frères avec esperance de pouvoir faire le même » dans l'autre vie. Je romps pour cela tout commerce avec » les schismatiques et j'excommunie pour cette vie et pour » l'autre tous ceux de ma dependance qui seront assez » malheureux pour s'opposer avec quelque espèce d'op- » piniâtreté à l'acte authentique que je viens de faire » et qui voudront estre de quelque maniere que ce soie » les ennemis de l'Eglise Romaine, cette grande et S. Eglise » cette Eglise toute apostolique et seule Catholique. J'ay » fait publiquement cette profession de la foy que » j'ay dans le cœur depuis longtemps, le 1er jour du » mois d'aoust l'année 1129 selon le calcul Arménien » et 1670 selon le Romain et pour confirmer de ma main » ce que je viens de prononcer de bouche, je signe Jacob » l'humble serviteur de J. Ch. l'evêque universel des Armé- » niens.» Idem ipse Patriarcha anno 1673. die 29. Ianuarii alias mittebat litteras Summo Rom. Pontifici Clementi X. cuius extat latina traductio, cuiusque hoc est initium (1): « Clementi X. Pontifici Apostolico Maximo *Summo Capiti* » *universalis et Apostolicae Catholicaeque Ecclesiae et digno* » *haeredi et Vicesgerenti sublimioris sanctaeque Sedis prae-* » *cipuae Apostolorum Petri et Pauli* Sacro Pontifici Domino » Patri meo infimus servus Dei Iacobus Catholicus et mi- » sericordia eius Patriarcha omnium Armenorum simul » cum Episcopis et doctoribus et omnibus officiariorum » ordinibus mittentes offerimus humili facie a Domino » devotam salutationem. »

(1) Tabul. S. C. de Prop. Fide.

34. Ad annum vero 1685 extant litterae armenice exaratae die 21 mensis Iunii, et quae in originali textu existunt in Archiviis S. Congregationis de Propaganda Fide, Isacci Episcopi S. Thadaei Vices gerentis Patriarchae Ecimiazin: harum litterarum hoc est initium: « Deosculor plantas » Pedum Sanctissimi Patris omnium summi Pontificis... » o *gloriosissima Corona posita super Caput Sanctae et Ca- » tholicae Ecclesiae, fax inextinguibilis* posita in sublimi » candelabro, o *illuminator universi cum radiis veritatis*, » *columna fidei firmitatis* et gloria Christianae pietatis. » Notum fiat quod iuxta Apostoli dicta *membra Christi* » *quae patiuntur, gaudent de gloria tua qui es Caput Ec- » lesiae, et quasi nostram considerando gloriam tuam*, » obliviscimur nostrarum aerumnarum et anxie expe- » ctamus visitationi Domini ut fruamur *gratiis quae ef- » funduntur a Supremo Capite* Maiestatis Sanctissimi et » Spiritualis Patris communis Christianitatis. »

35. Videsne quomodo Patriarcha Armenus Ecimiazinensis intelligit Primatum et auctoritatem Romani Pontificis? Non solum Coronam gloriosissimam Ecclesiae illum nominat, sed *facem inextinguibilem* qua *illuminatur universa Ecclesia* cum radiis veritatis. Quid clarius et vehementius posset exprimere indefectibilem fidem eius? Et ne facis inextinguibilitas aliter possit explicari quam de fidei indefectibilitate, Episcopus Isaac adnectit illico *radios veritatis, et Columnam fidei firmitatis,* ita ut in his verbis nil aliud videre fas sit nisi infallibilitatem Magisterii Pontificalis.

36. Anno 1695 Patriarcha Armenorum in Ecimiazin Nahabed nominatus 5 die mensis Septembris scribens ad R. P. Innocentium XII. sic eum alloquitur (1): « Magno » Domino Innocentio Supremo Pontifici et Papae universali.

(1) Tabul. S. C. de Prop. Fide.

» Quem Deus Pater supremum principium per se sub- » sistens omnipotens promovit ad Primatum, magnifi- » cavit, sublimavit, quem unigenitus Patris Filius Verbum » consubstantiale et socius in gloria glorificavit et locu- » pletavit, et quem eiusdem cum Patre et Filio gloriae, » potentiae et virtutis Spiritus Sanctus elegit et summe » honorificavit et glorificavit, Celeberrimo, Admirabili, » Honoratissimo, Notissimo, Summo honore digno, et gra- » tiosissimo *Angelo in Religione, ornato gratiis Apostolicis,* » *Orbis terrarum Illuminatori, Principum Principi, Epi-* » *scoporum Episcopo, et Sancto omnium in Christo cre-* » *dentium Nationum et praecipue Nostrae Nationis Armenae* » a S. Gregorio Illuminatae *Universali Patri* Sancto Pon- » tifici XII. Domino magnae et gloriosae Cathedrae, *loci-* » *que Orbis terrarum gloriosissimo,* a minimo humillimoque » fratre tuo Nahabed omnium Armenorum Catholico of- » fertur adoratio....Insuper petimus a Supremo omnium » Domino ut te prout *lampadem inextinguibilem conservet* » *ad illuminandum omnes Christianos,* et maxime gentem » nationis Armenae. Amen. Item cum parva paucis scripta » brevibus verbis constante, exigua et humili et adoratio- » nem praeferente, amorem et salutem impertienti prae- » senti Epistola manifestationem sanctitatis offero coram sa- » cratissima et suprema persona tua. Nam quamvis nos » minimi et humillimi simus, cum confidentia scribimus » Magnitudini tuae : sed et petimus ut acceptabilis sit » coram persona tua gloria ornatissima, quia tu Domine » *Mons es et nos lapis innixus monti isti,* quamvis ordine » et gradu simul, sed tu *Pelagus tranquillissimus et arx* » *inexpugnabilis,* nos exiguus *fluvius manans ex isto mari,* » cuius fluvii *gloria et magnitudo potestatis nostrae a te* » *est.* Et etiam desideramus consolationem sicut aestuantes

» refrigerari a Sanctitate tua, *sicut aegroti qui quaerunt*
» *medicum et languidi desiderant sanitatem sibi, et captivi*
» *libertatem et incarcerati redemptionem et parvuli famelici*
» *ad ubera matris concurrunt....*»

Verba, phrases et sensus qui continentur in hac praeclara epistola non indigent explicatione. Patriarcha Nahabied scribens a maiori Armenia ex medio Schismaticorum repetit Ecclesiae sua traditionem, recognoscit Rom. Pontificem *Arcem inexpugnabilem, facem inextinguibilem, illuminatorem orbis terrarum, Angelum in Religione* ut quo fieri possit vehementius exprimat indefectibilitatem fidei Romani Pontificis. Vim autem ac virtutem supremae iurisdictionis eius exprimit appellando illum *Episcopum Episcoporum, Montem ac Pelagum*, et alios Episcopos et Patriarchas *tamquam Petras monti innixas* vel *fluvios a Pelago manantes* ita ut qui non nititur Episcopo Romae, Monti illi, ruat necesse est: exemplo autem fluminis originariam emanationem iurisdictionis Episcopalis a Rom. Pontifice profitetur Patriarcha Armenus, et tantum gloriae et magnitudinis et potestatis habere agnoscit Patriarchas, quantum ab illo (Rom. Pontifice) provenit *(a te est)*. Et Ecclesiam totam cognoscit *in persona* Rom. Pontificis ita ut *sanitas, salus, nutritio* et *libertas ab illo proveniat* quia ubera fidei in ipso Rom. Pontifice sunt. Neque opus est hic observare quanto honore et obsequio Armenus Patriarcha Rom. colat Pontificem sequutus suorum Praedecessorum exempla.

37. Idem Patriarcha Nahabied in altera sua epistola anno 1699. ad Innocentium XII. Pontificem Rom. data sic eum alloquitur (1): «Ter beate Sancte Pater et *su-*

(1) Manuscr. RR. PP. Mekitar. Venetiis.

» *perexaltatum Caput Universae Ecclesiae Christi* Innocenti
» XII. Sanctissime Papa... Iterum vocamus Matrem Ec-
» clesiam Romanam, *quam iugiter talem professi sumus*...
» Quoniam nos stamus firmi in eadem professione, et con-
» cordia, quam fecerunt S. Sylvester et S. Gregorius Illu-
» minator. Profitemur prout illi professi sunt, consenti-
» mus ut illi consenserunt. Profitemur enim Sacrum Apo-
» stolum Petrum, Vicarium supra totam Ecclesiam eius,
» *pascentem et pastorem ovium et agnorum Iesu, Petram*
» *Ecclesiae Sanctae, Caput SS. Apostolorum, Principem-*
» *que illorum, Petram illaesibilem a portis inferorum,*
» *Possessorem Clavium Regni coelorum*. Profitemur insu-
» per summum Praesidem Romae, sacrum successorem
» Petri Petrae, et Caput omnium fidelium, et *Archie-*
» *piscopum omnium Episcoporum, universalemque Docto-*
» *rem totius Ecclesiae Christi*. Profitemur etiam Sanctam
» Ecclesiam Romanam matrem omnium Ecclesiarum, *cui*
» *obedire nos debere conscii sumus,* atque admittimus omnia
» quae admittit sancta Ecclesia Romana et reiicimus
» omnia quae illa reiicit... »

38. Similiter repetit Menas Amidanus Archiepiscopus Eudocensis Patriarcha Armenorum Hierosolymis in epistola sua ad eundem Innocentium XII. data eodem anno 1699 (1).

39. Similiter scripserat ad eundem Innocentium XII. anno 1695. Simeon Catholicus Albanorum hocce titulo (2):
« Ter beato et feliciter regnanti, *universali capiti Sanctae*
» *Ecclesiae*, et Successori Principum Apostolorum Chri-
» sti Petri et Pauli, Patri spirituali omnium Christiano-
» rum, et Domino nostro, Sacrae dexterae osculo, salu-

(1) Steph. Leh Chron. ad an. 1699.
(2) Steph. Leh Chron. ad an. 1695.

» Item dicit nimio desiderio atque devoto corde e lon-
» ginquo tamquam proxime, Christi servus humilis Simeon
» Catholicus Armeniorum regione commorantium Sciama-
» chi scilicet et Gangiae.... »

40. Huic epistolae Patriarchae Armenorum in regione Albaniae Summus Pontifex Innocentius XII. peramanter responderat suis litteris datis anno 1698 die sexto Iunii (1) in quibus haec leguntur: « Litteras a Fraternitate
» Tua anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto
» datas libenter sane perlegimus; nam in eis obsequii
» et devotionis in hanc *Sanctam Sedem insigne studium*
» *non minus humiliter, quam religiose profiteris;* quod
» etiam animo Tuo minime novum esse, verum pluribus
» ab hinc annis veterum, et *quidem praeclariorum Ar-*
» *meniae gentis Antistitum exemplo, a te susceptum,* et
» accurate deinceps hucusque custoditum vehementius in
» dies augeri et inflammari declaras. Hos profecto men-
» tis tuae sensus Pontificiae charitatis affectu praecipuo
» complectimur, nec dubitamus quin zelus tam eximius
» egregios fructus afferre, et vel magnam istius gregis
» partem ad Ecclesiae Romanae matris suae gremium,
» uberaque, benedicente Domino, revocare possit, ad
» quam profecto reditus eas calamitates, quas tamdiu
» lugetis, quousque discessus invexit, auferre, aut sal-
» tem minuere poterit. Quare ut in adeo pium, ac in-
» comparabilis in utraque vita gloriae plenum opus toto
» pectore incumbas, te etiam atque etiam, pro mune-
» ris nostri debito hortamur, atque rogamus, ut ita ter-
» gemino illo praecepto, quod Fraternitas Tua in suis
» litteris commemorat, pro viribus parcamus, quo Domi-
» nus noster Iesus Christus principi Apostolorum Petro,

(1) Bullar. Prop. Appen. Tom. I. pag. 349.

» cuius, licet immeriti, Sedem Divina Providentia obti-
» nemus, animarum eius pretiosissimo sanguine redem-
» ptarum curam strictissime iniunxit. Ceterum *quemad-*
» *modum florentissimae quondam Ecclesiae istius afflictio-*
» *nibus ex intimo sensu cordis paterni compatimur, easque*
» *removeri, vel saltem leniri posse, plane vellemus;* ita
» in hanc causam cuncta, quae pro te et tempore pot-
» erunt, auctoritatis adiumenta conferre numquam desi-
» nemus....»

41. Nunc vero aliud documentum afferamus non minus praeclarum ex epistola quam Melchisedech Patriarcha anno 1701 die 1. Novembris exul scribebat ad Clementem XI. Originale huius epistolae extat in Tabulariis S. C. de Propaganda fide. En verba harum litterarum.

« Clementi - *Supremo, Summe honorato, gratiosissimo,*
» *Vasi electo purissimo*, Summe mi Domine, Apostolica
» gratia ornato, Sanctissimo Patri meo, o *Petra fidei* sicut
» Petrus praeclarus discipulus Domini, crucifixus sicut
» Christus cui dictum fuit a Verbo Dei: tu es Petra, et
» *Petra inconcussa, Pastor, et omnium Pastorum bonus*
» *Pastor, et tamquam Petrus acceperat Spiritum Sanctum,*
» *tu etiam Petra praeclara Catholicon Sedis Romae puri-*
» *ficatus et sanctificatus cum Petro*, Dextra tua adumbret
» nos, qui sumus miseri et corruptibiles, sed tu *Papa*
» *incorruptibilis* (Pap Aneghzaneli) (impervertibilis), *tu*
» *Lucifer ortus in Cathedra, cuius lux ad nos emanat, o*
» *meus sol splendens, qui illuminat universum* et corru-
» scans aurora mea, quae est fax animae meae. O Sancte
» et praeclare, quo illustrantur tenebrae animi mei, tu
» Pater noster, Summe et Sanctissime Gubernator.......
» qui est tecum, gloriando invenietur in dextera Christi
» utpote super crucem dixit Christus quod hodie mecum

» eris in paradiso..... memor sis mei in illo iudicio, » quia ego sum servus inutilis et provolutus ad pedes » tuos adoro te Summum, ut memor sis mei, et manus » tuas extende super me, cor meum desiderat te, et vi» dere te opto, et tamquam latro bonus cum planctu » exclamando credo te esse Summum Pontificem *et me » esse gregem Pastorum Principis qui tu es, quoniam tu » Petrus es totius gentis.* »

Quae in his litteris producuntur, magis atque magis confirmant quae plerique alii Patriarchae professi sunt de praerogativis Pontificalibus. Nam non solum universalem Rom. Pontificis Episcopalem agnoscit auctoritatem sed etiam *Papam incorruptibilem* idest inerrabilem profitetur, quia tamquam Petrus purificatus et sanctificatus est Rom. Pontifex idest in indefectibilitate fidei, qua totum orbem illuminat ut sol et aurora, et si ille obscuraretur, tota Ecclesia in tenebras rueret, et plena sua auctoritate idem Rom. Pontifex populos ad dextram et ad sinistram dispertit, et est gubernator Summus, ita ut Patriarcha se gregem illius Principis Pastorum dicat, et summa adoratione tamquam minimus et infimus eundem colat ac revereatur.

42. Eodem anno 1701 die 25 Maii inscripta est alia quae extat in eiusdem S. C. Tabulariis, epistola Nahabiedi Patriarchae Armenorum quae his verbis incipit: « *Summo Sacerdotum Duci et principali Capiti uni» versalis et per totum orbem terrarum diffusae Christi » Ecclesiae,* Successori, locumtenenti et Sedis haeredi » Principalis Apostolorum Petri qui est *Petra fidei,* Do» mino Clementi XI. » et postea eundem Pontificem nominat « *Caput Dux universalis Ecclesiae Christi* » Sancta vero Ecclesia Romana ab eo vocatur « Mater *Lucis, ma-*

» *gna Ecclesia Romana.* » A quibus verbis denuo palam conficitur professio fidei Ecclesiae Armenae de Primatu iurisdictionis Rom. Pontificis et de praerogativis eius nec non de S. Sedis et S. Romanae Ecclesiae principalitate.

43. Hisce autem temporibus cum saeva contra Armenos catholicos, urgentibus schismaticis, persequutio ferveret, praestantissimi viri tamquam heroes, unionem Ecclesiae Armenae cum S. Sede intrepide praedicabant; ex quibus Michael Sebastenus Sebaste et Gomidas Keomiurgian Constantinopoli ambo Sacerdotes Armeni vitam pro catholica unitate profuderunt, ipso sanguinis sui testimonio dogmaticam de Primatu Rom. Pontificis doctrinam confirmantes. Melchior vero Tasbasian Alumnus Ven. Collegii Urbani de Propaganda fide, inclytus Archiepiscopus Armenus celeberrimae Mardensis Ecclesiae in Mesopotamia quo praeceptore in sacris lectionibus usus fuit Abraham Arzivian electus postea primus Patriarcha Ciliciae, post mirificas praedicationes pro S. Rom. Ecclesia et uberrimos fructus, ad triremes Constantinopoli damnatus, ibidem confessor fidei gloriosae vitae cursum explevit.

44. Anno autem 1721. Minas Archiepiscopus litteris datis ad Clementem XII. Rom. Pontificem die 5 Ianuarii sequentes titulos auctoritatem supremam exhibentes eidem Summo Pontifici tribuendos censebat (1). « Tibi
» Summo Pontifici Duodecimo (Clementi) electo, honorato
» ac sublimato a Deo patre sine principio a se existente
» et omnipotente et glorificato a Verbo eius consubstantiali
» et conglorificato et electo summe honorato et sublimato
» a S. Spiritu omnipotenti et eandem gloriam et aucto-
» ritatem habenti, tibi dico celeberrimo, honoratissimo,
» admirabili, gratiosissimo Angelo simili et Apostolica

(1) Tab. S. C. de Prop. Fide.

» gratia ornato, *illuminatori universi, capiti capitum et*
» *Patri Sancto omnium Christianorum Domini Magni Thro-*
» *ni*....... offeratur adoratio, affectio et salus...... utpote
» noster S. Gregorius Illuminator.... accensus sancto
» amore cordis et fiducia et *magna humilitate currit tam-*
» *quam filius ad patrem ad S. Sylvestrum*... »

Haec quoque verba palam conficiunt professionem Ecclesiae Armenae de Primatu Rom. Pontificis. Allato autem S. Gregorii Illuminatoris exemplo luculenter ostenditur quo animo verae humilitatis et obedientiae Patres nostri excoluerint Vicarios Domini Nostri Iesu Christi Summos Romanos Pontifices.

45. Anno autem 1718 die 7 Martii litteris ad S. Sedem a Ioanne Catholicon Armeniorum ab Aleppensi civitate datis, consentientibus et subscribentibus plurimis aliis Archiepiscopis et Episcopis et Doctoribus, sacerdotibus et nobilibus viris eiusdem nationis numero centum, et insuper Abrahamo Archiepiscopo Armeno eiusdem Aleppensis civitatis qui postea a Domino Papa Benedicto XIV. Patriarcha eiusdem nationis praeconizatus fuit sub titulo Abrahami Petri I, recta professio fidei emittebatur et omnes ibidem subscripti vovebant et iurabant « se post mortem eiusdem catholici Archiepiscopi Aleppensis nullum recepturos fore Episcopum qui non haberet *sinceram sanctam fidem Romae, quam habebat Pastor eorum Abrahamus.*» Iohannes autem Catholicon addidit in capite epistolae cum suo sigillo haec verba (1): « Ego Iohannes
» Catholicon vidi et approbavi et sigillo munivi, si quis
» non recipit, anathema sit» (2).

(1) Tabular. S. C. de Prop. Fide.

(2) Labente XVII et ineunte XVIII saeculo permulti alii Armeniae Antistites litteris missis vel etiam Romam item arripientes perfectae

46. Antequam vero ulterius progrediamur, liceat notare hic quod ne opus in longum abiret abstinuimus, exceptis nonnullis quas huc illuc adnotavimus, a referendis quamplurimis illis litteris, quas Romani Pontifices scripserunt ad Patriarchas Episcopos et Reges Armeniae,

obedientiae obsequia Rom. Pontificibus luculenter perhibuerant. Nimis longum esset de his omnibus hic sermonem instituere. Sufficiat meminisse quae sequuntur. Anno 1647. Philippus Catholicon Ecimiazinensis cum subscriptione 25 Episcoporum et 8 Doctorum scribens ad Rom. Pontificem Innocentium X. Primatum S. Sedis plenissime et sine ambagibus profitebatur. Anno vero 1678 die 1 maii Ieremias Catholicon Albaniae datis litteris subscriptis a duodecim Episcopis Rom. Pontificis Primatum amplissime profitetur. Idem praestat an. 1689. die 19 apr. Thomas Nurigian Episcopus S. Crucis in maiori Armenia, et an. 1691 die 26 iunii Cyriacus Episcopus Talnensis qui Romam venerat et summam S. Rom. Sedis Principalitatem recognoverat. De isto sermo erat ut daretur tamquam Coadiutor Patriarchae Azariae Sisensi. Anno 1695 Aristaces Archiepiscopus *Ieriz Manganz* in Mesopotamia, et an. 1696 die 20 martii Gregorius Catholicon Sisensis et an. 1698. die 30 septembris Iacobus Episcopus Marascensis, et an. 1700 Mekitar Patr. Constantinop. per humilissimas litteras Dogma Primatus Rom. Pontificis reverenter profitebantur. Anno autem 1702 Ioachim Episcopus ab Alexandro Patriarcha Ecimiazinensi Romam missus Cathedrae Petri, nomine sui Patriarchae obsequia praestabat, et Ecclesiam armenam Ligurni construendi facultatem a S. Sede exposcebat. Eodem tempore Romae obedientiam praestabant S. Romanae Ecclesiae Vartan Episcopus Caesariensis, et Ioannes Kevorkian Episcopus Cafae, et Gregorius Episcopus Edessenus et anno 1711 Ieremias Archiepiscopus Aegypti, et Ionas Eliae Episcopus Sebastenus et an. 1725 Pasqualis Episcopus Cypri, et Siukias Kasavetian Archiepiscopus Brusae ad Benedictum XIII obedientiae litteras obsequenter mittebant. Anno vero 1712 Isaias Catholicon Kanzasarensis, et anno 1717 Asdvazadur Catholicon Ecimiazensis litteris datis S. Rom. Ecclesiae plenissimam obedientiam praestabant: eodem anno Nerses Gregorii Episcopus Aintabensis et an. 1723 die 4 decembris Gabriel Vartanian Archiepiscopus Edessenus Romae orthodoxae fidei professionem emittebant, et Dogma Primatus Rom. Pontificis luculentis verbis affirmabant. Anno autem 1727 Garabet Catholicon Ecimiazensis eandem fidei professionem R. Pont. Benedicto XIII mittebat. (Tab. S. C. de Prop. Fide.)

ex quibus luculenter adstruitur Rom. Pontifices saepissime supremam Doctrinalem aeque ac disciplinarem auctoritatem in Ecclesia Armena exercuisse quin Patriarchae, Episcopi seu Reges Armeniae Autonomiae patriarchalis vel nationalis praetextu vel alio quocumque titulo eisdem quidquam obiicere autumaverint; imo maxima obedientia et reverentia eandem supremam auctoritatem recognoverint et receperint.

Ita inter alios Gregorius PP. VII. anno 1080. (Mansi Concil. Tom. XX. 341.) scribens ad Archiepiscopum Armenum Synnadensem monet illum de azymo in Sacrificio Missae retinendo contra cavillationes Graecorum, de trisagio recitando sine additamento et de aliis, ubi etiam illud addit loquens de Ecclesia Romana; « in ea nullus » umquam haereticus praefuisse dignoscitur, nec umquam » praeficiendum praesertim Domino promittente confidi- » mus..... » Scribens autem idem Pontifex ad Episcopum Beneventanum (Mansi Collec. Tom. XX. pag. 310) monet eum ne recipiat Armenum quendam haeresis convictum et ex Armenia eiectum. Innocentius II. Pontifex (Baron. ad an. 1145. §. XXIII.) mittit insignia Patriarchalia Gregorio Bahlavuni Patriarchae Armeniae: Eugenius III. Papa eidem Patriarchae direxit litteras de festis celebrandis (Baron. ad an. 1145. §. XXIII.): Gregorius VIII. Pontifex per litteras 4 Novembris an. 1187. (Neubrig. lb. 3. cap. 20.) praecepit ieiunium in Armenia: Innocentius III. inter multa, scribit *Catholicon, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus et Prioribus per Armeniam constitutis* litteras indictionis Concilii Generalis (an. 1211. Epist. lb. XV. Ep. 30.); mittit Pallium Patriarchae Gregorio (Epist. lb. Ep. 47.); transmittit vexillum S. Petri Leoni Regi Armeniae (Epist. Tom. 1. pag. 507.); redarguit eundem de

quibusdam excessibus (Epist. tom. II. Ep. 234.). Gregorius IX. Papa mittit Pallium Patriarchae Constantino (Raynal. ad an. 1239. §. 83.); concedit Regi et Reginae Armeniae Indulgentias pro toto Regno (an. 1239. Epist. Greg. IX. lib. 12. Ep. 394.); confirmat Regi Aitoni privilegia et foedus S. Gregorii Illuminatoris (Raynal. ad an. 1239. §. 2.). Innocentius IV. praescribit eidem Regi varia capita disciplinaria instauranda, et admonet Catholicon Armeniae et suos Suffraganeos, ut sequantur consilia Laurentii quem Nuntium in Orientem mittebat (Bullar. Francisc. tom. I. pag. 421. anno 1250.). Gregorius X. invitat Catholicon Iacob et Regem ad Concilium Lugdunense (an. 1274. Epist. Greg. Ep. 2.). Nicolaus IV. mittit Regi Armeniae Aitoni Professionem fidei, ut eam subscriberet (an. 1289. Wading tom. V. pag. 199.). Clemens V. invitat Catholicon et Regem Armeniae ad Concilium Viennense (an. 1308. Epist. lb. 7. Ep. 787.). Ioannes XXII. litteris datis ad *Patriarcham Armenorum* et ad Oscinum Regem Armeniae examinat Professionem fidei eorum et inter alia exhortatur eos, ne simplices Sacerdotes oleum infirmorum benedicant (an. 1318. Ray. tom. V. pag. 80. Benedic. XIV. Syn. Dioec. lib. 8. cap. I. n. 4.) et per alias litteras quas eodem anno (VI. Id. Iunii Raynal. §. 15.) scripserat eidem Regi Armeniae optatum factu putat quaedam gymnasia aperire in Regno Armeniae et hortatur Regem ut loca assignet praecipue in urbe Aiacii. Idem Pontifex, per litteras datas ad fideles Armenos, praescribit illis, ut veniam expetiant ab Antistite eorum Stephano quem iniuriis affecerant (an. 1321 Wading. tom. VI. pag. 373.). Idem Pontifex litteris V. Calend. Septembris an. 1321. datis ad Archiepiscopos et Episcopos Armeniae Maioris quorum nomina et Sedes enumerat, proponit pro-

fessionem fidei, et praescribit varia capita de administratione sacramentorum, prout aliquid ex ista epistola superius attulimus (Wading tom. VI. pag. 369.). Benedictus XII. plurimis litteris Regi et Catholicon Armeniae missis praescribit puritatem fidei, et disciplinae instaurationem (Wading tom. VII. pag. 243. 245.). Clemens VI. cuius aliqua Epistola iam superius partim allata fuit, permultis litteris ad Patriarcham Regem et Episcopos Armeniae datis excitat eosdem ad expellendos quosdam errores, proponit fidei professionem sine ulla ambage admittendam, admonet eos reformare perplurima negotia ad Disciplinam Ecclesiasticam pertinentia et mittit pro hoc negotio legatos in Armeniam Antonium Episcopum Caet. et Ioannem electum Coron. (Wading tom. VII. 243. 311. 326. 327. tom. VIII. 80. Bzov. ad an. 1351. §. XXI.). Clemens VII. excitat Catholicon Armeniae ad observantiam Decreti unionis Concilii Florentini (Ray. ad an. 1526. §. 79–80). Leo X. prosequuturus Concilium Lateranense indictum, inceptumque ab Iulio II. mittit Nuntium ad Armenos qui eorum Patriarcham cum aliis Orientis Patriarchis ad Concilium invitaret, aut saltem, ut eos excitaret, ad mittendam professionem fidei ad Concilium: capta autem occasione varia capita disciplinaria instauranda proponit (Raynal. ad an. 1514. §. 88.). Xistus V. Legatum mittit in Armeniam Episcopum Sidoniensem cum plena facultate (Bzov. Pont. Rom. pag. 205). Paulus V autem tot tantaque Apostolica sollicitudine Ecclesiam Armenam prosequutus erat, ut Pater Armeniorum diceretur, et ab Armenis qui sub suo Pontificatu magno numero Romam frequenter adibant, tamquam amantissimus Pater colebatur (Bzov. Rom. Pont. pag. 52 §. 27). Gregorius XV litteris datis *universis Christifidelibus Ar-*

meniae constitutis concedit Indulgentiam in forma Iubilaei an. 1623. 4. Febb. (Bullar. Rom. tom. 5. pag. 91.). Urbanus VIII Moysi Patriarchae Ecimiazinensi (an. 1631.) et Philippo Catholicon (an. 1646), Innocentius XII, Nahabiedi Catholicon (an. 1697.), Clemens XI eidem Patriarchae (an. 1701. 20. April.) et Alexandro Catholicon (an. 1710. 15. Martii) litteras scripserunt quibus tum de fide, tum de disciplina multa constituerunt pro suprema auctoritate qua pollebant in universam Ecclesiam. Postremas istas litteras videre est praesertim in Bullario Ordinis Praedicatorum tom. VI. pag 439. Has autem omnes epistolas, admonitiones, praescriptiones et consilia Reges, Patriarchae, Episcopi et fideles Armeniae semper filiali cum obedientia et demisse uti par erat receperunt, et venerati sunt, prout ex litteris eorundem Patriarcharum superius allatis et ex ipsis Rom. Pontificum Epistolis facillime eruitur, et numquam factum est, ut voci Supremi Pastoris populus fidelis Armenae gentis restiterit vel irreverenter se gesserit. Numquid id praestitisset, si supremam in Cathedra Petri Orientales aeque ac Occidentales regendi et docendi auctoritatem non agnovisset?

47. Sed iam pervenimus ad illa praeclara tempora in quibus ope Beatissimae memoriae Domini Papae Benedicti XIV Patriarchatus Armeniae Ciliciae ab ausu Schismaticorum ereptus in veterem suam gloriam revocabatur et Abrahamus Petrus I. personaliter Romam iter arripiens in persona Benedicti XIV. fel. mem. Summi Pontificis Christi verum Vicarium et suum Dominum colebat et omnia non solum mandata sed et monita et desideria eius tamquam docilis filius exequi curabat.

Sufficiat retulisse, quod legitur in Diario manuscripto asservato in Archiviis antiquae Residentiae Patriar-

chatus Ciliciae in Bzommar Montis Libani caput undecimum accusationum quo haeretici homines criminabantur eundem piissimum virum Abrahamum Petrum I, quod (pag. 13. n. 1.) « crederet Papam Dominatorem Patriarcharum (1) et profiteretur summum Primatum B. Petri et omnium eius successorum. » Innumera essent documenta quae possemus afferre ex hac ultima epocha Patriarchatus Ecclesiae Armenae. Tabularia S. Congregationis de Propaganda fide et Vaticana testantur quantanam veneratione et obedientia piissimi Ciliciae Patriarchae prosequuti fuerint Vicarios Christi in terra Rom. Pontifices, eorumque mandatis uti par erat demisse ac reverenter obedierint. Ipse SSm̃us D. N. Pius PP. IX in memoranda Sua Bulla 12 Iulii 1867 anni sic de serie ista Patriarcharum testatur: « Talis fuit Abrahamus Petrus pri» mus quem *multis aerumnis pro catholica fide probatum* » Benedictus PP. XIV decessor Noster Patriarcham Cili» ciae renunciavit; quem deinde non interruptae Patriar» charum series *huic Apostolicae Sedi firmiter adhaeren*» *tium* subsequuta est. » Liceat nihilominus aliqua documenta idem comprobantia afferre.

48. Anno 1754 die 6 Maii quando R. P. D. Petrus Michael electus Patriarcha Ciliciae suam confirmationem et collationem Pallii a S. Sede petebat, Procurator eius Pater Desiderius a Casabasciana nonnullis Armenis Episcopis et presbyteris in Consistorio praesentibus, sic Dominum Papam Benedictum XIV. affatus est (2): « Sicut » (Armeni) in obsequium S. Sedis ad mortem usque per–

(1) « Փափն իշխող ամենից Պատրիարքաց Համարէր. » (Երես 131. Թիւ 11).

(2) Acta Concist. Miscell. edit. Rom.

» stiterunt in Ecclesia Romana *radicem unitatis sacerdo-*
» *talis et fundamentum totius Ecclesiastici aedificii, in san-*
» *ctitate vero vestra omnium Christianorum parentem et*
» *supremum Ecclesiae Hierarcham agnoscentes et vene-*
» *rantes* . . . »

49. Anno autem 1781 die 25 Iunii P. Georgius Bagdad Archiepiscopus Procurator Archiepiscopi Amasiae electi in Patriarcham Ciliciae Armenorum, absoluto Consistorio in quo fuit confirmatus idem electus Patriarcha, sic alloquebatur Pium VI. summum Pontificem (1): « Debi-
» tum hoc dum venerabundus exsolvo, Sanctitati Tuae per-
» spicuum testatumque velim, tot tantisque collatis Pon-
» tificiae benignitatis muneribus, *non Patriarcham* modo,
» sed *universam Tibi mirum in modum devinxisse Arme-*
» *nam Ecclesiam, quae proinde , in gratissimi animi sui*
» *luculentius argumentum, in obedientia et obsequio erga*
» *Sanctam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Ma-*
» *trem et Magistram, constantem usque ad effusionem san-*
» *guinis* se profiteri gloriabitur; quod ut votis omnibus
» expeto, ita et eventurum, auxiliante Domino, confido.»

50. Anno vero 1814 die 19 Decembris occasione Pallii quod Gregorio Petro VI. concedebatur, R. D. Athanasius Saraphian Archiepiscopus Armenus Theodosiopoleos Procurator eiusdem Patriarchae, ita mirifice SSmum Dominum Papam Pium VII nomine eiusdem Patriarchae alloquebatur: «Beatissime Pater, Ecclesia Catholica Ciliciae
» Armenorum quae gloriatur perpetua sua unione cum
» hac suprema Apostolica Sede, hodie per me suae pie-
» tatis officium renovat.... quare nomine Patriarchae mei
» et totius nationis maximas gratias ago tibi et eum ,

(1) Bullar. S. C. de Prop. Fide Tom. IV. pag. 192.

» totamque suam Armenam Ecclesiam tot tantisque *tuae*
» *Sanctitatis beneficiis obligatum strictiori semper vin-*
» *culo huic Sanctae Romanae Ecclesiae matri et magistrae*
» *omnium Ecclesiarum cohaesuros* polliceor et tamquam in
» Arca Noe in perpetuum et constanter in ea remansuros,
» teque Dominum verum Christi Vicarium, *Petri Successo-*
» *rem, omnium Pastorum Pastorem, Custodem et vindicem*
» *legum et canonum, infallibilem Sacrarum scripturarum*
» *interpretem, inappellabilem iudicem Ecclesiasticarum cau-*
» *sarum et quaestionum* et totius Ecclesiae supremum et
» visibile Caput recognoscentes, *tibi praecipienti debitam*
» *obedientiam, honorem et reverentiam reddituros promitto* »
(Act. Concist.).

Hinc Gregorius XVI. ita praedictum Patriarcham commendabat anno 1833. kalendis Decembris Pontificatus sui anno III. « . . . Denique laudamus pietatem tuam, *qui*
» *praescriptis* ab hac S. Sede regulis in omni *liturgia re-*
» *tinere te ac profiteri testaris* » (1). Quod aperte ostendit quanta obedientia optimus ille Patriarcha S. Ecclesiam Romanam coluerit uti normam inerrabilem in fide et disciplina.

51. Anno autem 1844. die 25. Ianuarii eadem occasione collationis Pallii pro Gregorio Petro VIII. R. D. Ioannes Topus eiusdem in urbe procurator haec coram SSmo Papa Gregorio XVI nomine eiusdem Patriarchae alloquebatur post alia: « Quare nomine eiusdem Patriarchae et
» totius Armenae gentis sempiternas pro tanto beneficio
» gratias Sanctitati tuae offero, quique per hoc illustre
» decus (Pallii), et per Pontificiam benignitatem constri-
» ctum semper ad maiorem sui animi obligationem pate-
» faciendam usque ad *mortem inseparabiliter se remansu-*

(1) Bullar. de Prop. Fide tom. V. pag. 103.

» *rum per me promittit in unione cum hac Sancta Romana*
» *Ecclesia, quae mater est et magistra omnium Ecclesiarum*
» *et ad quam propter potentiorem principalitatem omnes de-*
» *bent convenire Ecclesiae.*

» Tibi autem, Beatissime Pater, in quo *effigies B. Pe-*
» *tri cernitur, et indefectibilis eius dignitas in te supremo*
» *eius Sedis herede veneratur, obedientiam, obsequium* et
» *venerationem per me pollicetur,* et nil aliud sibi tam sa-
» crum arbitratur quam Sanctitatis tuae *mandata, et con-*
» *silia recipere et exequi ac si ab ore ipso B. Petri pro-*
» *lata essent* » (Act. Concist.).

Hic idem piissimus Patriarcha addictissimus S. Sedi multa suae devotionis argumenta erga Petri Sedem suppeditavit, siquidem edoctus uti erat in sacra Theologia et in sacris litteris, ingenue sanam professus est doctrinam, omnibusque suis sacerdotibus Missionariis per longum sui Patriarchatus tempus iuxta Romanae Ecclesiae doctrinam theologicas tradidit disciplinas, et diligentissime cavit, ne ab iisdem principiis et lectionibus Clerus suus umquam deflecteret. Quin imo cum Romam anno 1847 venisset, ampla relatione statum Ecclesiae suae Apostolicae Sedi fuse et demisse exposuit prout scripta eius testantur, necessitates eiusdem aperte significavit, et Summi Pontificis nedum consilium et opem, verum et auctoritatem imploravit, qua fieret, ut nonnulla disciplinae capita in Patriarchatu Ciliciae rite possent ordinari.

Quando vero SSm̃us Dominus Papa Pius IX feliciter regnans exul Caietae moram gerebat, idem Patriarcha Armenus suam vocem omnibus Ecclesiae Antistitibus consocians haec tamquam suo Patri Summo Pontifici pro sui cordis dolore scribebat italico idiomate (L' Orbe Catt. pag. 308.)

Beatissimo Padre.

« È proprio ai figli esser partecipi, anzi patire i do-
» lori e le angustie del loro amorosissimo Padre. Per
» questo appunto *io obbedientissimo figlio di Vostra Bea-*
» *titudine*, dal primo momento che ho sentito le funeste
» notizie della tribolazione di Vostra Beatitudine, *pro-*
» *fesso sinceramente di non aver trovato mai pace e quie-*
» *tudine alcuna.* Ciò non ostante mi rassegno intiera-
» mente alla volontà della Divina Maestà. Non son ca-
» pace a far altro, se non innalzar sempre mai la voce
» all'altissimo ed implorare la Divina Misericordia, onde si
» compiaccia il Divino Beneplacito concedere la perfetta
» libertà *al Capo di tutti i Pastori, e conservare immune*
» *la madre Chiesa di tutte le Chiese.* Sì per questo fine
» solo ho promulgato anche preghiere solenni in tutta
» la mia Diocesi, e *l'adempisce il mio gregge con tutto*
» *il fervore* e la pietà, per poter sentir un giorno il fe-
» licissimo annunzio della liberazione del Vicario del no-
» stro Signor Gesù Cristo.

» Intanto *prostratomi io con tutti i miei Vescovi e con*
» *l'intiero Clero e popolo, imprimiamo umilissimi baci nei*
» *Piedi di V. Beatitudine con tutta la divozione ed umiltà,*
» e mi do in somma felicità a professarmi sempre di
» vero e sincero cuore etc.... »

Ex hoc patet quanto obsequio memoratus noster Patriarcha Romanum Pontificem veneraretur: idem ipse fidei studiosissimus Pastor multa scripsit non solum de iuribus Primatus Romani Pontificis, sed et de inerrabili eius magisterio, uti manuscripta sua testantur; hanc eandem doctrinam tradidit in sua Ecclesia, prout plerique venerabiles Archiepiscopi eiusdem Patriarchatus adhuc viventes

luculenter testantur. Inter alia vero manuscripta eius, disquisitio quae extat in Archiviis antiquae Residentiae Patriarchalis in Bzommar Montis Libani, et quae habet titulum « Pharmacopea immortalitatis » (tegharan Anmahutiyan) non solum summum Principatum Romani Pontificis plurimis argumentis propugnat, sed in Paragrapho quarta, cuius titulus est « Romanus Pontifex est Supremus Iudex et infallibilis in doctrina fidei et morum » (1) strenue hanc eandem de Pontificii magisterii inerrantia doctrinam tradit, praedicat ac demonstrat.

Sic in Cap. V. in num. 94. postquam retulit Decreta Concilii Lugdunensis et Florentini de Primatu Rom. Pontificis, his verbis concludit: « Primo quod Sancta Ro-
» mana Ecclesia et Pontifex eius, habent supremam Au-
» ctoritatem super totam Ecclesiam per universum or-
» bem : quia Ecclesia illa est S. Petri et Episcopus eius
» est Successor B. Petri, qui est *Caput, Pater et Doctor*
» *Apostolorum.* »

« Secundo, quod in persona Petri ipsius, data fuit
» Ecclesiae et Successori Petri plenissima potestas pa-
» scendi, curandi et gubernandi universalem Ecclesiam
» Christi : quare quicumque patitur iniuriam a proprio
» Pastore, potest adpellare ad eius Tribunal, tamquam
» ad Supremum Tribunal. »

(1) Յօդուած չրդ. « Քահանայապետն Հռովմայ է Գերագոյն դատաւոր և անսխալ 'ի վարդապետութիւն հաւատոյ և վարուց » (Ճառ ձեռագիր որ մն եկեղեցւոյ որ կոչի դեղարան անմահութե. Գործ բ. Գրիգորի Կաթուղիկոսի Պետրոսի ութեր.)

« Tertio, quod si quaestiones de fide et moribus exur-
» gerent, *illi soli* competit dirimere eas tamquam *in-
» fallibilis iudex constitutus ad hoc a Domino*. Quae cum
» ita sint, tota Ecclesia Christi tenetur obedire ei et
» uti par est, revereri et obsequi. »

In paragrapho autem IV. eiusdem V. Capitis, postquam in N. 100, 101 et 102 testimonia Patrum Ecclesiae Armenae adduxisset ad comprobanda iura et praerogativas Rom. Pontificis, sic sermonem absolvit in n. 103: « Et
» cur haec omnia testantur (nempe Patres Armeni) nisi
» quod bene illis omnibus compertum erat, *quod Supre-
» mus Iudex in caussis Ecclesiae et infallibilis in doctrina
» est constitutus a Christo solus* (մի միայն) *Rom. Pon-
» tifex?* Quare omnibus incumbit *obedire praescriptio-
» nibus et legibus eius tamquam indefectibili et infallibili
» Canoni fidei et morum*. Cum vero Patres nostri maio-
» res ita egerint cum Romanis Pontificibus, et verbis
» et rectis canonibus eandem rem nobis filiis suis tra-
» diderint, non solum nos convenit et oportet idem fa-
» cere, sed transgressio magna, et gravis culpabilitas et
» condemnationis dignum opus esset flectere a legibus
» et dictis Sanctorum Patrum qui docuerunt nos manere
» in obedientia Capitis Ecclesiae: quia si illi non cre-
» didissent id tamquam unum ex necessariis ad salutem,
» certe non tantum solliciti essent de eius observantia:
» hinc prout ipsi fecerunt, idem incumbit et nobis facere. »
Haec piissimus ille Patriarcha.

52. Anno vero 1866. die 15. Septembris Episcopi Ciliciae in Residentia Patriarchali in Bzommar in Monte Libano congregati electionem novi Patriarchae conficientes et a SSm̃o Domino Pio PP. IX. confirmationem suae electionis postulantes, ita ab eodem Summo Pontifice pro Ecclesia

Armeniae ordinem unitatis, non solum quoad *iurisdictionem*, sed et *circa disciplinam* assequi exposcebant his verbis (1): « Gaudentes in Domino rem Catholicae Ar-
» menorum Ecclesiae tantopere utilem a nobis confici
» potuisse, Sanctitatem Vestram adprecamur, ut opus
» ipsum Apostolica benedictione et confirmatione perfi-
» cere dignetur. Equidem providissimus Deus, qui tot
» gloriosa facinora aeternaque digna memoria, Vobis Pon-
» tificiam cathedram moderantibus, est operatus, profecto
» Beatitudini Vestrae *ordinationem Catholicae Armeniorum*
» *nationis reservavit,* quae paternae Vestrae sollicitudinis
» beneficia aeternum extollet, *postquam a Vestra Sapien-*
» *tia decus atque ordinem unitatis tam quoad iurisdictio-*
» *nem, quam circa disciplinam fuerit assequuta.* » His litteris subscripserant omnes Archiepiscopi Armeni electores numero octo.

53. Occasione vero solemnitatis saecularis Martyrii SS. Petri et Pauli, Episcopi Armeni, cum ingenti orbis Catholici Episcoporum numero in hac Alma Urbe congregati, una cum illis obsequentissima vota Summo ac Magno Pio IX. offerentes, una voce eidem Summo Pontifici ita loquebantur: « Non enim umquam obticuit os Tuum. Tu aeternas
» veritates enunciare, Tu saeculi errores naturalem su-
» pernaturalemque rerum ordinem, atque ipsa ecclesiasti-
» cae civilisque potestatis fundamenta subvertere mini-
» tantes Apostolici eloquii gladio configere, Tu caliginem
» novarum doctrinarum pravitate mentibus offusam dis-
» pellere, Tu, quae necessaria ac salutaria sunt tum sin-
» gulis hominibus, tum Christianae familiae tum civili
» societati, intrepide affari, suadere, commendare supremi

(1) Acta Consist. Secreti 12 iulii 1867. Romae typis S. C. de Prop. Fide pag. 6.

» Tui ministerii es arbitratus: *ut tandem cuncti assequan-*
» *tur quid hominem Catholicum tenere, servare, ac profiteri*
» *oporteat.* Pro qua eximia cura maximas Sanctitati Tuae
» gratias agimus, habituri sumus sempiternas, *Petrumque*
» *per os Pii locutum credentes, quae ad custodiendum de-*
» *positum a Te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque*
» *dicimus, confirmamus, annunciamus,* unoque ore atque
» animo reiicimus omnia quae divinae fidei, saluti ani-
» marum, ipsi societatis humanae bono adversa *Tu ipse*
» *reprobanda ac reiicienda iudicasti* » (1).

54. Cum vero hoc eodem anno Sanctissimus Dominus Pius PP. IX. votis Episcoporum Armenorum Ciliciae benigne annuens Sedem Archiepiscopalem et Primatialem Constantinopolitanam extinguendo, provinciam illam Patriarchatui Ciliciae coniungebat, et residentiam Patriarchatus in Urbem Constantinopolitanam transferebat, et Archiepiscopi Primatis Antonii Hassun electionem confirmans, eidem die duodecima Iulii Pallium solemniter concedebat, R. D. Antonius Hassun, Petri IX. nomen suscepit, ut praedecessores sui pro devotione erga Cathedram Petri, et sic SS̃mum Papam in solemni et publico Consistorio fere omnibus suis Archiepiscopis et Episcopis adstantibus inter alia alloquutus est (2): « Quo facto providissime con-
» suluisti incolumitati Fidei nostrae, quam licet gra-
» vissima immineant pericula, non amplius tamen post-
» hac, adiuvante Deo, naufragium passuram esse con-
» fidimus, peculiari enim Sanctitatis tuae sollicitudine

(1) Responsio Episcoporum ad SS. D. N. allocutionem, in solemni saec. Martyrii SS. Petri et Pauli, die 1 iulii 1867 cui Responsion. subscripserunt quingenti fere Episcopi.

(2) Acta Consist. secret. 12 Iulii 1867 anni Typis S. C. de Prop. Fide pag. 41.

» fovetur, atque arctius Apostolicae huic Sedi adhaerens
» illius Petrae virtute solidatur, supra quam Dominus
» Ecclesiam suam tanta stabilitate fundavit, ut portae in-
» feri adversus eam numquam praevaluerint, sed neque
» in posterum praevaliturae sint. Revera gentis nostrae
» historiam antiquissimam memoria recolentibus, luce me-
» ridiana clarius innotescit, eos ex nostris Patriarchis
» uti splendida sidera ceteris praefulsisse, qui arctius
» Beati Petri Cathedrae adhaeserunt, et gloriosissima Ar-
» menorum saecula ea fuisse, quibus catholica veritas
» atque unitas apud eos magis floruere. Atque utinam
» qui iis successerunt maiores gentis nostrae Antistites
» arctiorem cum Sede Apostolica coniunctionem, quali
» nos modo fruimur, habuissent! Etenim tunc inimicus
» homo in agro Dominico zizania superseminare nulla-
» tenus potuisset, si pastores firmiter Romano Pontifici
» arctissime adhaesissent. Petro enim et Petri successo-
» ribus dictum est a Christo Domino – confirma fratres
» tuos: – Episcopi Armeni hoc spiritu confirmati, potuis-
» sent robur et fortitudinem induere, qua schismaticorum
» atque haereticorum fraudi et violentiae resistere valuis-
» sent....Vere nobis honum est, Pater Sancte, Tibi ad-
» haerere; ponere post Dominum Deum in te spem nostram.
» Sicut enim palmes non potest ferre fructum nisi manserit
» in vite, sic nec nos nisi post Christum in te manse-
» rimus. Fides enim vera esse nequit sine coniunctione
» Cathedrae Petri: Ubi enim *Petrus, ibi Ecclesia*.... Tu
» vero Bm̃e Pater, qui universalis Ecclesiae Doctor es
» et Magister infallibilis, eadem vel probando vel emen-
» dando vel quae necessaria duxeris adiiciendo, viam
» Nobis sternes qua tuto gradiamur, uberemque nobis
» gratiam auctoritate precibusque tuis conciliabis, ut iu-

» gum Domini suave quidem illud et leve alacres por-
» temus nostrisque curis concreditos populos in salutis
» aeternae viam ducamus » (1).

(1) Non aliter senserunt de S. Ecclesia Rom. et de Rom. Pontifice praeclarissimi quique Constantinopolitanae Ecclesiae Praesules et Patriarchae. S. Gregorius Nazianzenus saec. IV. in carmine de vita sua (edit. Venet. 1753. pag. 8.) haec de Ecclesia Rom. canit: « Fides » vetustae (Romae) recta erat iam antiquitus, - Et recta perstat » nunc item nexu pio - Quodcumque labens sol videt devinciens, - » Ut universi praesidem mundi decet - Totam colit quae Numinis » concordiam. »

S. Ioan. Chrysostomus saec. IV. in suis litteris ad Innocentium I. Papam sic Pontificem alloquebatur: « Quoniam vero ea quae perpe- » ram fiunt non solum deploranda, sed et corrigenda sunt; ideo rogo » charitatem vestram ut excitetur. *Ostendite fortitudinem*, quae vos » decet.... scribe quaeso ut quae... *gesta sunt, nullius sint roboris;* » eos vero qui eiusmodi scelera ausi sunt perpetrare, ubi convicti » fuerint, *ecclesiasticae censurae subdi.* »

Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus saec. V. sic S. Leonem alloquebatur: « Sedes Constantinopolitana habet *Patrem* thronum Apo- » stolicum Vestrum, *praecipuo* atque *excellenti modo* se ipsam vobis » *adiungens* (κατεξαίρετον ἑαυτὸν συνάψας ὑμῖν). »

S. Mennas item Patriarcha Constantinopolitanus saec. VI. sic in Synodo Constantinopolitana profitebatur: « Nos, ut vobis charissimis » notum est, *Apostolicam Sedem sequimur* et *obedimus* et communi- » camus *cum iis qui cum illa communicant; et condemnatos ab illa* » *condemnamus*... sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, quae » ab ea statuta sunt, praedicamus. »

Ioannes autem Patriarcha Constantinopolitanus initio VIII. saec. ad Constantinum Papam veniam ob Ecclesiasticos canones transgressos expostulans aiebat: « Discipuli et successores illius, qui a Domino » audivit: Simon, Simon ecce satanas etc. *plane debetis cum omni* » *studio adhibere quae* sunt confirmationis ad *emendationem*... Nam » et Principem et caput Apostolorum admonet Dominus » (Labb. VIII. 136.).

Item S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus saec. VIII. in sua epistola Hadrianum Pontificem sic alloquebatur: « Principali Sa- » cerdotio Tuo *omnis Episcopalis potestas subiicitur: non est or-* » *thodoxus, qui non veneratur* Sedem, in qua sedet Coryphaeus

55. Quum autem iuxta mandatum eiusdem Pontificis an. 1869 Synodus Patriarchalis ab R. P. D. Antonio Petro IX. Patriarcha Ciliciae congreganda esset, Patres eiusdem gentis Constantinopoli congregati, priusquam manus

» Apostolorum qui nos et omnes fideles *docet* et *gubernat* » - postea - « Sic (per litteras Pontificis) dilacerata membra *in unitatem copulan-* » *tur:* sic vera confessio stabilitur: sic *Catholica Ecclesia obtinet unio-* » *nem.* » (Migne Patrolog. graec. tom. 98 col. 1439.)

Item S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus ad Leonem Pontificem saec. VIII. scribebat: « Vos sequor apostolicos Patres meos » a Deo edoctos. . . . *In Vestris doctrinis et in Vestra legislatione per-* » *sistimus,* in hac fide haud deficientes et sine macula.»

S. Ignatius item Constantinopolitanus Patriarcha saec. IX. ad Nicolaum I. Papam sic scribebat: « *In membris* Christi. . . *unum dum-* » *taxat* electum et *universalissimum medicum,* nempe fraternam pater- » namque Sanctitatem Vestram Verbum Dei. . . constituit, quando Petro » Summo apostolorum Capiti dixit: tu es Petrus etc. huiusmodi beatas » voces non quidem certo quodam privilegio tantum pro Coryphaeo » illo circumscripsit, sed per illum (Petrum) etiam adoramus qui post » eum futuri erant veteris Romae Pontifices, transmisit: Hinc Aposto- » licae Sedis Vestrae Successores haereses et iniquitates extirparunt...» (Mansi tom. VI. 47 et 25.)

Summi quoque imperantes eiusdem civitatis iisdem sensibus reverentiae et obedientiae colebant Rom. Pontifices. Marcianus Imperator sic S. Leonem alloquebatur de Synodo cogenda: « In primis » iustum esse iudicavimus ut Sanctitas tua quae Episcopatum et Prin- » cipatum Divinae fidei gerit, sacris epistolis primo loquatur; ut omni » errore depulso per Synodum cogendam, *te auctoritatem tuam exer-* » *cente summa pax omnibus Episcopis Catholicae fidei sequatur.* » Et Iustinianus Imperator ad Ioannem Rom. Pontificem sic scribebat: « Red- » dentes honorem Apostolicae Sedi et Sanctitati Vestrae ut decet Pa- » trem. . . omnia *quae ad Ecclesiarum statum* pertineant, festinavimus » *deferre ad notitiam Vestrae Sanctitatis.* Itaque *omnes sacerdotes* » *universi Orientis et subiicere et unire Sedi Sanctitatis Vestrae pro-* » *peravimus. . . .* »

Haec eadem Constantinopolitana Graeca Ecclesia etsi in lugendum schisma prolapsa, indefectibilem fidem Rom. Pontificis in ecclesiasticis suis hymnis sic celebrat. De S. Sylvestro Papa cuius gratissimum est nomen Armenis, sic canit: «Sylvester pater visus es veluti columna

operi admoverent Apostolicam a SSmo Domino Nostro Pio PP. IX. benedictionem petendam existimantes, ita telegraphice et italico idiomate SSmum Dominum die 12 Iulii 1869 anni adprecabantur (Tabul. Synod. Patriarch. Armen. an. 1869).

A Sua Santità Pio PP. IX. — Roma.

BEATISSIMO PADRE

« Il Patriarca Antonio Pietro IX. e i Vescovi riuniti
» dovendo incominciare per beneplacito di Vostra Santità
» il Sinodo Patriarcale a'diciasette corrente, e festeggiar
» solennemente l'arrivo delle Sagre Reliquie di S. Gre-

» ignis sacro more ducem agens sacrae Congregationis, et veluti nu-
» bes obumbrans, eripiens fideles ab Aegyptio errore *et semper infal-*
» *libilibus doctrinis transferens ad divinam lucem.* »

S. Caelestini autem memoriam in Synnaxario eadem Ecclesia CP. sic celebrat: « Per epistolam dogmaticam, quam Roma misit ad Syn-
» odum Ephesi congregatam impium Nestorium deposuit, et ab or-
» thodoxorum Ecclesia expulit blasphemantem contra Filium Dei et
» contra sanctam Dei Matrem. *Verum et per alia decreta doctrinalia*
» *orientis ecclesias hac peste liberavit.* »

De S. Leone vero Magno sic concinit (Od. V.) « Scriptum illud
» Roma missum veluti *divinum donum* credentes, in eo sapientes do-
» ctores turrim religionis stabiliverunt. » Item (Od. IV.) « lux matutina
» ab Occidente, o beatissime divina sapiens ortus es, quum *sanctorum*
» *dogmatum tomum veluti radium misisti Ecclesiae.* »

S. Martini autem Rom. Pontificis sacras celebrans memorias sic concinit eadem Ecclesia: « quo te nomine compellabo, Martine? Di-
» cam ne omnibus illustrem *orthodoxae doctrinae rectorem? Dicam*
» *te divinorum dogmatum absque ullo fallo sacrum coryphaeum?* Di-
» cam erroris veracissimum reprehensorem? » (Od. VIII.) « *Te Epi-*
» *scoporum novimus basim, ortodoxae fidei columnam* et religionis
» magistrum. » S. Gregorium Magnum autem sic eadem Ecclesia alloquitur: « Salve religionis o fax, quae splendoribus verborum tuorum
» universum orbem illuminas. . . *pharus in procella erroris* iactatos
» ad litus revocans et a morte liberans: organum agitatum afflatibus
» Spiritus. »

» gorio Illuminatore, prostrati a' Piedi di Vostra Santità
» implorano *la Santa Benedizione del Supremo Gerarca*
» *e Pastore de' Pastori come pegno per il prospero successo*
» *di questo medesimo Sinodo.*

Antonio Pietro IX. e Vescovi.

Costantinopoli 12 Luglio 1869.»

56. Cum vero SS̃mus Dominus noster per eandem telegraphicam viam Apostolicam mittere eidem Synodo Benedictionem dignaretur, eadem Synodus in Ecclesia Patriarchali congregata fuit, et quum idem SS̃mus Dominus Noster insignes Reliquias S. Gregorii Illuminatoris in Monasterio S. Gregorii Neapoli (1) existentes, Ecclesiae Patriarchali Constantinopoleos donaverit, omnes Ecclesiae Armenae Episcopi numero novemdecim in eadem Synodo congregati debitam pro tanto munere gratiam Summo Pontifici persolvendam censuere, quod hisce litteris italice conscriptis factum est (Tabul. Synod. Patriarch. Armen. an. 1869).

« Beatissimo Padre »

« Nell' occasione del Sinodo in cui questo Patriarcato
» si trova riunito sotto gli auspicii di V. S. i sottoscritti
» credono uno dei primi loro doveri di ringraziare V.S.
» colla presente umilissima lettera Sinodale per la rara
» compiacenza con cui V. S. degnandosi di accogliere
» l'umile istanza collettiva di questo Episcopato Armeno
» presentata al trono di V. S. due anni prima, ebbe la
» Paterna ed insigne bontà di far avere a questa Chiesa
» Patriarcale le Sacre Reliquie di S. Gregorio Illuminatore

(1) Ioannes XXII. in Bulla « Opus meritorium » VI. Id. Decemb. 1332 memorat monasterium hoc in quo moniales Armeniae degebant.

» e Apostolo di questa nazione, conservate presso le mo-
» nache in Napoli, e che consistono in una delle Tibie
» del S. Confessore unitamente ad una Verga e a un pezzo
» di Catena che aveano servito nella tortura del mede-
» simo Santo, collocato tutto con Pontificia munificenza
» in una ricca Urna.

» Infatti le dette Sacre Reliquie ci furono consegnate
» dall' Illmo e Rmo Mgr. A. G. Pluym Pro-Delegato Apo-
» stolico, e questo Episcopato alla vigilia dell'apertura
» del Sinodo con solenne Processione e col gran con-
» corso del Clero e popolo ne fece la traslazione a que-
» sta Chiesa Patriarcale dedicata al nome di Maria San-
» tissima, conforme agli espressi ordini di V. S. comunicati
» dall' Emo Cardinal Prefetto della S. C. di Propaganda.

» Quest'impareggiabile tesoro arrivatoci in sì propizia
» occasione, mentre c'è un sicuro pegno per il favore-
» vole successo degli sforzi che fa questo Episcopato sotto
» gli auspicii della Cattedra di S. Pietro ad organizzare
» pienamente questa Chiesa Armena Cattolica, è nel me-
» desimo tempo un novello contrassegno della Paterna sol-
» lecitudine colla quale V. S. degnossi sempre provvedere
» questa Chiesa. Così questo insigne Dono rimarrà, Bea-
» tissimo Padre, in rimembranza non peritura della Pa-
» terna Benevolenza di V. S. verso questo Patriarcato
» Armeno Cattolico.

» Con questa medesima occasione i sottoscritti si cre-
» dono in dovere di ringraziare V. S. per l'Apostolica
» Benedizione che sulla loro umile domanda la S. V. de-
» gnossi accordare per via telegrafica e che ci arrivò alla
» vigilia medesima dell'apertura di questo Sinodo.

» Con tali sentimenti di leale riconoscenza, i sotto-
» scritti si prostrano ai Piedi di V. S. e coi sensi di

» profonda venerazione e d' inalterabile attaccamento e
» sommissione si pregiano di dichiararsi

Di Vostra Santità

Costantinopoli Patriarcato Armeno Cattolico 29 Luglio (S. V.) 1869.

Umi, Dmi, Obbmi Servi e figli (1).»

57. In eadem Synodo Patriarchali in Congregatione Generali 75 diei 20 Octobris anni 1869 cum ageretur de suprema auctoritate Rom. Pontificis in dirimendis quaestionibus iuris Canonici, formula quaedam ea super re concinnata fuit quae in Congregatione generali 78 diei 28 eiusdem mensis et anni fuit ab omnibus Patribus eiusdem Synodi unanimiter adprobata. In hac autem formula non solum suprema Rom. Pontificis regendi auctoritas luculenter asserebatur, sed etiam « *inerrabilis magisterii inviolabilis auctoritats in persona Petri legitimis eius Successoribus concredita* » (verba sunt haec eiusdem formulae exactissime ab Armeno idiomate translata) palam aperteque tribus vicibus idest in parag. VII. X. et XI. ab iisdem Patribus affirmabatur (Tabul. Synod. Patriarch. Armen. 1869).

58. Cum autem Oecumenicum Concilium iamiam celebrandum esset Armenii Episcopi una cum Patriarcha pro muneris sui debito Romam venerunt hospitaliter excepti in sacro Ianicularis montis Recessu, cui a piissimo Praesule *Piatti* iamdiu nomen est. Ibi duas inter metas ferme consistentes, hinc sepulchrum Principis Apostolorum, hinc vero locum ubi Eum cruci affixum ferunt, de Pontificii Magi-

(1) His litteris subscripserant cum R. D. Patriarcha praedicti Archiepiscopi et Episcopi octodecim in eadem Synodo Armena congregati.

sterii inerrantiae doctrina agitari et hinc inde sermonem fieri noverunt. Hanc proinde nedum gregibus sibi commissis, verum et universae Ecclesiae consulturi, Oecumenici Concilii. decreto roborandam censuerunt, animi sui sententiam ac desiderium sequenti verborum formula exprומentes: « Etiamsi in Ecclesia nostra Armena num-
» quam dubitatum fuit de irreformabilitate Iudiciorum,
» quae a Rom. Pontifice uti Supremo Ecclesiae Catholi-
» cae Magistro et Doctore pronunciantur in materia fidei
» et morum, utpote plurima Patrum nostrorum vetusta
» testimonia, atque Ecclesiae nostrae historica Documenta
» luculenter ostendunt, quodque Sacri et Orthodoxi eius-
» dem Ecclesiae Antistites hucusque docuerunt, cum ta-
» men audierimus quosdam hanc ipsam infallibilitatem
» in dubium revocare, nos timentes gravia damna quae
» ex hac nova doctrina possent oriri universae Ecclesiae,
» praesertim vero Orientalibus, quoniam numquam du-
» bitatum fuit quin irreformabilitas praedicta supremo
» Romani Pontificis primatui arctissime et inseparabiliter
» cohaereat, necessarium existimamus, ut eadem ab Oe-
» cumenico Concilio definitive declaretur atque idcirco
» petimus, ut de huiusmodi re in eodem Concilio quam
» primum agatur. Romae. In aedibus Piatti Montis Iani-
» culi die 11. Ianuarii 1870.»

Prout facile erui potest ab hac formula, Episcopi Ecclesiae Armenae statuunt primo solemne testimonium quod in Ecclesia sua numquam fuerit dubitatum de inerrantia magisterii Petro-apostolici utpote etiam documenta a nobis huc usque allata satis superque eandem doctrinam confirmant. Secundo vero iidem Patres testantur hanc eandem doctrinam ab Orthodoxis Antistitibus eiusdem Ecclesiae invariabiliter fuisse traditam, ita ut quod-

cumque dubium de hac re non solum contradiceret consensui et universali traditioni totius Ecclesiae Armenae, sed quod gravius est, cum haec praerogativa Pontificalis arctissime et inseparabiliter Supremo Rom. Pontificis Primatui cohaereat, gravia inde damna, praesertim Armenae Ecclesiae oritura timuerunt, siquidem de illa praerogativa aliquod dubium excitaretur. Nam uti allata Documenta perspicue ostendunt, ideo Ecclesia Armena doctrinam de inerrantia Pontificii Magisterii tenuit, quia sinceram et illibatam Primatus eiusdem ideam ac notionem, Deo favente, possidens non novum illud quoddam, sed eiusdem Primatus inseparabile privilegium esse professa est: quare qualecumque dubium de hac praerogativa illico et necessario ius Primatus vulnerare videretur, et hoc est quod Episcopi Armeni in hac formula omnino declarandum censuerunt, ne Catholicum dogma de Primatu Romani Pontificis aliquid detrimenti apud gentem suam luctuosissimis praesertim hisce temporibus pateretur, cuius tuendi causa Patres nostri tot tantasque aerumnas lubentur passi sunt; quin imo et nonnulli ex his ipsis Armenis Antistitibus, qui praesenti Vaticano Oecumenico Concilio adstant, vagi et exules errarunt per inhospitalia Asiae oppida una cum ingenti numero piissimi Cleri et populi Armeniaci, effervescente dira illa persecutione anni 1827 quae totum Orbem Catholicum commovit, et famem, frigus, minas mortis, innumerasque passi sunt calamitates, sanguinem quoque dare paratos se persequentibus exhibuerunt, et sic Dogma Catholicum Primatus Rom. Pontificis strenue ac intrepide propugnarunt ad exemplar S. Aristacis Armeni Episcopi, qui cum tot tantisque aliis Episcopis fidei Confessoribus et ipse verae fidei defensor et confessor primae Nicaenae Synodo interfuit.

XVIII.

En tibi, benevole Lector, de Sede Apostolica, de iurisdictione et de inerrabili eius Magisterio vetustissimorum et recentiorum Ecclesiae Armenae documentorum longa series. Multa alia essent quae ex Armenae Ecclesiae traditione adduci possent, sed temporis brevitas non omnia in unum colligere permisit. Ecclesia Armena est pars nobilis Ecclesiae Orientalis, tenax in suis traditionibus, quas Patres nostri non aliunde nisi, uti historia testatur, ex theologicis scholis Caesariensi, Edessensi, Alexandrina, Antiochena, Athaenarum et Constantinopolitana hinc a IV. saeculo praesertim hauserunt, et puram atque intactam de S. Sedis Primatu et de privilegiis conservaverunt notionem, ita ut haec traditio omnium illarum scholarum traditionem exhibeat, et ideo magni facienda sit. Allata autem documenta nec interpolata nec ab aliis sunt fabricata; neque theologicae scholae lectiones sunt, sed simplex, constans et generalis traditio Ecclesiae Armenae, quae tria haec mirifice statuit.

I. Et primo notionem Primatus S. Romanae Sedis et Rom. Pontificum explicitam et perfectam exhibet, ex quo patet Ecclesiae *Regimen* vere et proprie *Monarchicum* esse a Deo ipso institutum, ac iurisdictionem Sedis Apostolicae ac eorum, qui illam tenent Sedem, tamquam solem esse, et lucem suam in Orbem effundere, tamquam arborem vitae omnibus vitalitatem donare, tamquam fontem rivulos in omnes effundere, tamquam gubernaculum Ecclesiae Christi navem gubernare, tamquam caput omnibus membris praeesse et vim emittere, tamquam Pastorem Pastorum agnos et oves et arietes pascere, tamquam

fundamentum et petram angularem totum aedificium sustinere. Non sunt mea haec verba, sed Armenicae Ecclesiae Patres unanimiter ubique iisdem usi sunt verbis: interpres ego fidelis et humillimus sisto, ita ut, iuxta sententiam Ecclesiae Armenae, Suprema auctoritas Primatus in persona Petri et eius Successorum ita contineatur, ut a cunctis omni veneratione et obsequio sit recipienda. Et sane videmus Concilia, in quibus exiguus etiam fuit numerus, prout in Constantinopolitana I. et II, ex assensu et confirmatione Rom. Pontificis statim uti Oecumenica habita fuisse et vim obtinuisse obligandi universam Ecclesiam.

Neque vero hoc Apostolicae Sedis Primatus ius Occidentis vel Orientis limitibus coarctari, sed per totum Orbem aequaliter valere tenuerunt et crediderunt Patres nostri. Ipsi enim sunt qui ex longinquis et interioribus Orientis Provinciis ad Apostolicam Sedem recurrunt, et in illa Sede sedentes Caput, Dominum, Pastorem Pastorum, summum Navarchum etc. etc. agnoscunt et sese iisdem submittunt, et oracula eorum interrogant, uno verbo sine ambagibus et in tota sua plenitudine profitentur iura Primatus R. Pontificis super universam Ecclesiam (1); cum

(1) Ad rem doctissimus et in Orientalium Ecclesiarum negotiis versatissimus Card. Angelus Mai (in opere suo Veter. Script. Vat. Coll. Tom. VI) sic sapienter admonet de praecisione necessaria in exponendis fidei veritatibus: « quod attinet ad subtiles quasdam exquisitasque schismaticorum malorum vel infelicium temporum excusationes, eae quamvis propriae gentis amore atque a laudis orthodoxae studio manant, ingenuoque et recto animo fiunt, attamen puritati fidei ac securitati fidei Catholicae parum oppido prosunt; imo declarata iam dogmata quandoque obscurant, definitasque controversias rursus commovent: multoque praestat errorem vel suspicionem erroris a veritate ac simplicitate Catholica libere fidenterque secernere, ne tenebrae luci officiant et ne *incautius populus inter errorem et orthodoxiam leve fortasse discrimen intercedere putet.* »

enim ovium et agnorum et arietum suorum curam, prout Ecclesiae Armenae traditio explicat, concrediderit Christus Petro et Successoribus eius Pontificibus Romanis, Rom. Pontifex eandem habet supremi Pastoris potestatem in singulos Ecclesiae Catholicae fideles sive Orientales sint sive Occidentales aut cuiuscumque ritus vel linguae illi sint.

II. Eruitur ex Armeniae Ecclesiae testimoniis superius allatis S. Sedem Romanosque Pontifices non solum Occidentis sed et Orientis Ecclesias tam in fidei et morum negotiis, quam in canonicae et liturgicae Disciplinae rebus, pari auctoritate gubernandi ius habere, illudque exercuisse; et conficitur Ecclesiam Armeniam hoc Apostolici Primatus indispensabile ius in iisdem Romanis Pontificibus agnovisse, et reverenter eorundem ordinationibus etiam disciplinaribus se submissam exhibuisse; imo ab eadem Ecclesia Romana semper easdem ordinationes disciplinares exquirendas credidisse. Enimvero Ecclesiae Armenae Patres optime agnoverunt quod Ecclesiastica disciplina iuxta temporum et morum exigentias saeculorum decursu, mutationi obnoxia est, ita ut character Ecclesiasticae disciplinae non sit pharisaica stabilitas ut videtur in Ecclesiis Schismaticis a trunco vitae avulsis, et ideo vita carentibus, ac litterae scriptae canonum materialiter inhaerentibus; sed evolutio vitalis concordans cum fundamentalibus regulis disciplinae Ecclesiasticae: agnoverunt etiam cum diversitate Ritus, disciplinae unitatis utilitatem in universa Ecclesia, et videntes quod propriae Ecclesiae legislationes disciplinares pro Schismatis ratione non potuerint, uti necesse erat, evolvi, et ulteriori vita suae Ecclesiae sufficere, hinc ad matrem Ecclesiam recurrentes inde propriae Ecclesiae supplebant defectus, prout multa

vidimus in adductis testimoniis, ad illam Ecclesiam et Sedem, dico, in qua agnoscebant vim ac auctoritatem legislativam, atque facultatem emendandi ac mutandi illam ipsam disciplinam in universa Ecclesia quotiescumque circumstantiae id exigere viderentur, utpote pluries hoc fecerunt Rom. Pontifices in Armena Ecclesia, hinc a Gregorio VII. Rom. Pontifice incipiendo et cum sententia Iulii Pontificis, cuius fama magna est in nostra Ecclesia, ad Episcopos Orientales Antiochenae Provinciae data notissima apud nos esset quod « Canon Ecclesiasticus vetet ne de» creta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis san» ciantur » (apud Socratem H. E. 2. Co. 13. edit. Basil. 1580), ideo patet nostram Ecclesiam firmiter tenuisse quod quaecumque lex Ecclesiastica nisi per Sanctam Sedem Apostolicam vel directe vel saltem indirecte approbetur, lex esse non possit; quidquid enim idem Summus Ecclesiae Pastor et Rector non probaverit, regula in Ecclesia esse non potest, et nulla ordinatio Disciplinaris dari potest quae ab unione cum Petri Sede aliena sit, immo eatenus tantum haec ordinatio legitima est ac salutaris, et a periculo laedendi Constitutionem ipsius Ecclesiae immunis esse potest, quatenus firmiter ad centrum unionis convergat; illa enim sola Ecclesia et Sedes habet in se plenitudinem, universalitatem, suprematiam Apostolicae potestatis et fundata super infallibili suo Magisterio ita Ecclesiam regit et gubernat, ut inter variabiles mundi vicissitudines, ipsa semper una sit, sancta, Apostolica et catholica, omnibusque media suppeditet magis apta et efficacia ad salutem consequendam.

Neque ex hac strictiori adhaesione Cathedrae Petri aliquid detrimenti patiuntur Orientalium Ecclesiarum Liturgiae et Ritus quos Rom. Pontifices ut iam dictum est

servandos voluerunt, quatenus fidei puritati, morum sanctitati, unitati Catholicae et ecclesiasticae honestati non derogarent. Revera universam Ecclesiae historiam pervolventibus patet nihil auctoritate Rom. Pontificum in Liturgiis Orientalium fuisse umquam immutatum, nisi quod necessarium erat ad abusus corrigendos qui in eas irrepserant, vel ad pericula praecavenda, quae Catholicae fidei praesertim ob exortas haereses impendebant.

Has omnes veritates post assidua studia optime quidem noverat celeberrimus ille Archiepiscopus Tarsensis Armenus Lampronensis saeculo XII. et collapsam suae Ecclesiae disciplinam ad normam S. Ecclesiae Romanae reformare conabatur, et cum calleret lingua Graeca et Latina multa ex S. Gregorii Magni operibus in Armenam linguam transferre curabat, et Ecclesiae suae statum ope celeberrimi Patriarchae Gregorii instaurare cupiebat. Verum quam atrox et immane bellum contra praestantissimum illum Antistitem non excitarunt Monachi Armeni Halpadenses Sanahnenses et Zorokedenses! quantis iniuriis illum affecerunt, quantis calumniis apud Regem et Principes Armenos illum prosequuti sunt, tamquam innovatorem, atque latinizantem eum traducentes! Sed intrepidus Doctor Lampronensis celeberrimis suis litteris illos profligavit, ac in tota Armenia eos ignobiles reddidit. Datis autem litteris ad Principem Armeniae suam doctrinam veram et catholicam esse ostendit, et monachorum illorum cavillationes et accusationes non a zelo Ecclesiae, sed vel ab ignorantia, vel invidia, vel ab hostili animo erga Catholicam Ecclesiam provenisse demonstravit. Heu quantum aberant degeneres isti monachi a zelo et spiritu illorum qui Ecclesiam Armenam olim illustrarunt doctrina ac virtutibus, et quorum stre-

nuae cohortes hinc a saeculo VII. in hac alma Urbe Roma Monasteria possidebant (1), et ad profligandos praesertim Monothelitarum errores alacres sese offerebant, et postea per totam Italiam (2) et Angliam (3) usque pergentes orthodoxam fidem praedicabant, et S. Apostolicae Sedis magnanimos sese defensores exhibebant! (4)

III. Tertium denique argumentum quod Ecclesia Armena perhibet superius adductis documentis illud est, quod Ecclesia Armena cognoverat et professa fuerat in Petri Sede et in legitimis eiusdem Successoribus Supremam auctoritatem condemnandi errores contra fidem et mores sine periculo errandi, ita ut Ecclesia Armena in B. Petro et in eius successoribus stabilitatem fidei ac indefectibilitatem palam atque aperte agnoverit, cum iuxta constantem et unanimem Patrum Ecclesiae Armenae interpretationem per verba Christi « Tu es Petra etc. Pasce agnos meos etc. Ego rogavi pro te etc. non solum supremi Primatus sed etiam inerrabilis magisterii munus fuerit Petro et eius successoribus concreditum et omnes quotquot sunt in universo Orbe Episcopi debeant huic

(1) Ex monachis Armenis monasterii *Renati* positi in antiqua Roma, de quo sermo fuit superius pag. 65. Georgius Monachus aderat in Concil. VI. Oecum. Cpolit. III. an. 680 (Labb. Tom. VII. pag. 943. Act. XII. (*γεωργίου πρεσβυτέρου καὶ μοναχοῦ μονῆς τοῦ Ῥενατῆς ἐν τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ*).

(2) Roma ex Ethnica Sacra. Martinelli pag. 18. 363. Balutii T. II. p. 65. Pietro Pompilio Rodotà « del Rito Greco» T. II. p. 57. Ciacconi « Vitae et Regestae Pontificum.» Romae 1677.

(3) Rodulphi Hospiniani de Monachis, Genevae 1669 pag. 532. a Balaeo Script. Britan. cap. 26. in appendice in an. 1258.

(4) Spondan. ad an. 1514 refert Monachum quendam Armenum, cuius nomen Matthaeus, nomine regis Aethiopiae Davidis legatione functum apud Leonem X, foedus unionis illius nationis cum S. Sede absolvisse.

Petro-Apostolico Magisterio cohaerere, nec possibilis sit separatio Collegii Episcoporum a Capite suo Supremo, quia Christus Iesus qui pro Petro oravit ne deficeret fides eius et confirmaret fratres suos, ipse quoque rogavit ut unum sit Collegium Apostolicum, sicut ipse Christus cum Deo Patre (1). Superfluum omnino esset hic superius allata denuo repetere: nonne vidimus hanc persuasionem Patrum Ecclesiae Armenae ab ipsa notitia Primatus inseparabiliter profluere? Nonne apertis verbis illam eandem stabilitatem fidei et inerrabile Magisterium Rom. Pontificum passim in adductis testimoniis traditum vidimus? Quid aliud enim significat cum Patres Ecclesiae nostrae a vetustissimis temporibus, fidei petram in Sede Petri, et in eius Successoribus agnoscerent, Rom. Pontifices canonem fidei nuncuparent, firmamentum et fundamentum Ecclesiae aedificii, fontem veritatis, solem fidei, gubernatorem Christianae professionis, arborem vitae eosdem dicerent et profiterentur? Quid

(1) (Ioan. XVII. 11.) Liceat hic adnotare quod Eruditi viri occidentales magni habent versionem Armenam ss. scripturarum quae facta fuit saec.V. a textu Graeco. Inter alios Lud. Pikius Doctor Sorbonicus et Orientalium litterarum studiosissimus (Millius Prolegom. in V. T. Gr. pag. 152). sic de ea testatur: « Versio Armenica (SS. Scripturarum) » est antiquissima et ex genio suo ita ἑλληνίζει ut de verbo ad » verbum graeca referat, unde ex ipsa ius est restituendi originale » graecum, unde profluit. » Hic autem iuvat addere quod celebris ille versiculus (in I. Epist. S. Ioannis cap. V. vers. 7.) «Tres sunt etc. » etsi in aliquibus Armenis manuscriptis desideraretur, attamen in Concilio plenario quod convocaverat in Civitate Sis an. 1308, Constantinus Patriarcha Armeniae sub rege Oscino videmus Patres Armenos qui undique in eandem Synodum magno numero convenerant, meminisse, nemine contradicente, praedicti versiculi utpote notissimi in manuscriptis quibus utebantur Ecclesiae eorum; postea vero in altera Synodo plenaria Sisensi convocata a Domino Mekitar Patriarcha Armeniae an. 1342 occurrit denuo mentio eiusdem versiculi.

aliud intelligere poterant cum ad Rom. Pontifices scribentes Ecclesiae nostrae Patriarchae, eum in omnibus Christi locumtenentem agnoscunt, eius fidem a Spiritu Sancto firmatam asserunt, per eius oracula omnem Doctrinam in Ecclesia vim accipere praedicant, et eum qui a fide Rom. Pontificis deficit a fide Christi alienum esse dicunt (1), et professionem fidei a Rom. Pontifice propositam errori obnoxiam esse non posse profitentur, et innumera alia quae superius vidimus? Recentissime autem eiusdem Ecclesiae Antistites palam et aperte fidem Rom. Pontificis indefectibilem esse profitentur, et in Ecclesia Armena numquam de hac veritate dubitatum fuisse testantur, et ipsos quoque Antistites semper eandem veritatem docuisse iidem declarant. Revera Ecclesia Armena a suis incunabulis hanc edocta fuit doctrinam et eius fides numquam a neotericis opinionibus fuit contaminata; et in Petro et eius Successoribus Romanis Pontificibus supremum et inerrabile magisterium ab ipso Christo Domino institutum recognovit, quod tamquam Petra fidei semper et integrum manebit in illa fide et suis heredibus, uti mansit dum in Concilio Ariminensi plurimi Episcopi decepti fraudibus Valentis et Ursacii Arianae haeresi adhaerere videbantur, et ingemuit (ut inquit Hieronymus) totus orbis et Arianum se esse miratus est: sed Petrus in Suo Successore Liberio vivens per indefectibilem fidem, ut exemplo utar Patriarchae nostri Azariae superius citati, navem fidei, quae submersa vi-

(1 Ita S. Maximus Abbas et Martyr Doctor Graecus saec. VI perbelle hoc Supremi et inappellabilis iudicis munus in Rom. Pontifice perhibebat dicendo: «Si Pyrrhus vult haereticum non esse, ne» que audire, *non isti aut illi* satisfaciat: festinet pro omnibus *Sedi* » *Romanae* satisfacere. *Hac enim satisfacta,* communiter *ubique omnes* » pium hunc et orthodoxum praedicabunt ».

debatur, ad securum portum adduxit. Episcopi enim frangi possunt, sed Rom. Pontifex numquam frangi potest quia *adamas* est *fidei*, prout Damasum Papam in acclamationibus, nemine repugnante, nominarunt Patres Concilii Constantinopolitani tertii anno 680.

Quare aliam praeter eam quam Patres nostri edocuerunt doctrinam, Ecclesiae Armenae tribuere numquam fas erit, immo iniuriosum foret ac penitus reiiciendum tamquam calumniosum quidquid aliter de illa Ecclesia traderetur in hac re.

Verum est in his luctuosis temporibus Pseudomagistros etiam Armenos contrariam edicere ausos fuisse doctrinam, sed heu! hi non de Ecclesia propria quae praeclara extitit semper in Oriente devotione et pietate (1) sed ex alienis fontibus errores haurire solent. Cum enim Armeni in libellis et Ephemeridibus contra S. Sedem blaterant, nihil de avita et genuina Ecclesiae traditione proferunt, neque proferre possent, ad suas erroneas doctrinas propugnandas; quare hoc unum habent confugium ut pessima quaeque corradant ex iis quae apud alias gentes quotquot fuerunt et sunt Apostolicae Sedis inimici ad oppugnandam B. Petri Cathedram a qua uti doctores schismatici quoque sine ulla difficultate confitentur, Armeni

(1) Brocard auctor XIII saeculi in opere suo « Descriptio Terrae Sanctae » pag. 24 sic de pietate Armenae gentis testatur: « Ecclesias » frequentantes, missas audientes, genua flectentes, atque devote » orantes, religiosis etiam personis magnum exhibentes honorem » id quod in meipso sum expertus, quum illic aliquantisper morarer » item pag. 95 « devoti et morigerati sunt in Ecclesia, nec facile ullum » ibi videas dissolutum aut indisciplinatum. Catholicos vocant qui sub » se habent Archiepiscopos, Episcopos, et alios Praelatos qui optima » conversatione plebi praeeuntes verbo pariter et exemplo illos docent. »

habemus non solum Sedem et iurisdictionem, sed et ipsam quoque existentiam nostri Patriarchatus (1).

Sed Tu Pater et genitor Ecclesiae nostrae S. Gregori, qui in persona S. Sylvestri, Christi Vicarium, fontem iurisdictionis, Pastorem Pastorum, Doctorem inerrabilem coluisti, Tu, cuius sacras et insignes reliquias dignissimi illius Pontificis Successor Magnus Pius tuae Ecclesiae Patriarchali restituere dignatus est, Tu resuscita in tota Ecclesia Armena, quam sudoribus tuis et passionibus genuisti, animum devotionis erga Petri Sedem, quam Tu Petram inexpugnabilem professus es; Tu fac, ut qui inter nos ab obedientia eius recesserunt, ad eandem Noe arcam revertantur, et qui erroneis praedicationibus seducti Supremo Ecclesiae Pastori et Christi in Terris Vicario debitum obsequium recusare velle videntur, dociles ac submissi salutaria eius mandata recipere et iis obedire velint, tuisque vestigiis inhaerentes, et monitis parentes,

(1) Gregorius Papa IX. litteris suis datis (lb. 12. Ep. 199. Ray. ad an. 1238. §. 35.) ad Catholicon Armeniae an. 1238 declarabat eum subiacere iurisdictioni Patriarchae Antiocheni Latini Ritus; et aliis litteris datis VI. Cal. Iul. eiusdem anni 1238 Archiepiscopis Apamiensi et Mancestano (Raynal. ad an. 1238 §. 34) significat illis de hac subiectione Catholicon Armeniae Antiocheno Patriarchae: aliis autem litteris (ibidem) II. Cal. Aug. eiusdem anni 1238 iniungit Archiepiscopis Tyrensi, Arcomiensi et Anteradensi ut propugnarent iura et iurisdictionem eiusdem Patriarchae Antiocheni. Sed cum Rex Armeniae Ayton cum Regina Isabella nomine totius suae gentis et Constantinus Patriarcha supplices litteras misissent ad eundem Dominum Papam Gregorium IX (Ray. Tom. II. pag. 234) ut intactam conservare dignetur exemptionem Patriarchatus Armeni a subiectione Sedis Antiochenae renovantes firmas et amplissimas pollicitationes de immutabili eorum adhaesione Sanctae Sedi et sincera obedientia mandatis et praeceptis Rom. Pontificis, Gregorius Papa litteris datis anno 1239 Regi Aitoni quarum initium « Vestris supplicationibus » (Ray. ad an. 1239 §. 42) accessit precibus Armeniorum.

si vere tui filii esse velint, plenam obedientiam Apostolicae Sedi exhibeant. Fac ut, firma et immutabili unione inter Patrem et filios tandem aliquando constituta, optimus et amantissimus Pater et Pastor, Catholicae Ecclesiae Gloria, SS̃mus Papa Pius super aeneas Vaticani templi valvas solemnem illam unionem insculptam renovare possit, quam Eugenius IV. per Florentinam unionem ad perpetuam rei memoriam insculptam reliquit. Fac, Pater Sancte, ut praeclara ista in Oriente Ecclesia Armena per hanc strictiorem unionem vi ac virtute corroborata, progredi et in Oriente tamquam stella lucidissima splendere ac relucere possit.

INDEX

NIHIL OBSTAT
Pius Delicati Censor Theolog. Deputatus.

IMPRIMATUR
Fr. Marianus Spada O. P. S. P. Ap. Magister.

IMPRIMATUR
Iosephus Angelini Archiep. Corinth. Vicesg.

EPISTOLA

REGNANTIS PONTIFICIS PII PP. IX

AD

PRESBYTERUM ARMENUM

STEPHANUM AZARIAN

EIUSDEM SS. D. CUBICULARIUM HONORARIUM

DILECTO FILIO STEPHANO AZARIAN
PRESBYTERO ARMENO
ALUMNO VEN. COLLEGII URBANI DE PROP. FIDE
CUBICULARIO NOSTRO HONORARIO

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem. In hac omnium Ecclesiae osorum coalitione adversus istam Petri Cathedram eiusque primatum, iura divinasque praerogativas, quam tristiorem etiam fecit complurium e tua gente contumacia, peropportunum duximus opus tuum, quo constantem explicasti *traditionem Ecclesiae Armenae de Romani Pontificis primatu iurisdictionis et inerrabili magisterio*. Nam cum e ritualibus libris, menologiis, orientalium conciliorum actis, scriptis veterum Patrum ac Doctorum ea deprompseris, quae demonstrent, haud aliter unquam, ante foedum IX. saeculi schisma, Orientalem Ecclesiam, et Armenam nominatim, de hisce iuribus

et praerogativis sensisse quam Occidentalem, eamque traditionem ita pervasisse ecclesiastica omnia monumenta ut in praesentiarum etiam veteris fidei luculenta servet apud dissidentes ipsos vestigia: non modo firmitati et perspicuitati communis sententiae novam offudisti lucem, verum etiam iis qui contrarios imbiberunt errores viam parasti regiam, qua possint ad derelictorum iamdiu fratrum, nostrumque paternum complexum redire. Quamobrem ultro libenterque excipientes volumen tuum, tibi gratulamur, istique lucubrationi successum ominamur qui proposito tuo votisque respondeat. Divini vero favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus, Apostolicam Benedictionem, tibi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 20 Iunii anno 1870. Pontificatus Nostri anno vicesimoquarto.

PIUS PP. IX.